6 M
3-C
3

6-98 fa

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
3 H
25

6-3.C.3

Digitized by Google

Digitized by Google

# LEONIS
# ALLATII
## IN ANTIQVITATVM ETRVSCARVM FRAGMENTA
ab INGHIRAMIO edita
## ANIMADVERSIONES.
Additur eiuſdem Animaduerſio
*In Libros*
*ALPHONSI CICCARELLI,*
*Et Auctores ab eo confictos.*



ROMAE, Apud Maſcardum, MDCXL.

*Superiorum Permiſſu.*

Sumptibus Ioannis Antonij Bertani.

PERILL. AC REV.MO P.

# P. D. GREGORIO COPINO

CONGREGAT. CASINENSIS PROCVRATORI GENERALI

In curia Romana.

ROMA

*IO: ANTONIVS BERTANVS PAEL.*

CVNCTA, inter ſublunaria, eſſe temporis ſpolium; eiuſque ſubeſſe terminis; plus compertum eſt, quam dici queat. Satis teſtimonio eſſe poſſunt toties memorata ſeptem orbis miracula. Hæc quæ per oculos paſſim mor-

talium animos trahebant ad ſtuporem, & nunquam peritura putabantur; nunc in eo maximè temporis dominio ſubſcribunt, quod ne minimum quidem ſui veſtigium ſpectabile ferunt. Nihil minus priſca vrbis delubra intuentibus, facilè erit eadem coniectare. Ipſa nanque marmorea ædificia nullatenus aſſueta pulueri materiam præbere, ſub puluere iacent; & quæ aliorum cineribus ſepulchra dabant, iam cineribus circumquaque vallata; ſepulchrum capiunt. Hinc & periculosè admodum renouat Etruſcus ille, Etruſcas antiquitates; & parum fœlici

omine

omine quiſquis inter homines, ſuæ famæ immortalitatem marmoreis lapidibus conſignat. Quapropter egregiè in illo vanos conatus oſtendit eruditiſſimus Leo Allatius; & ſecuriorem immortalitatis viam ego in te Reuerendiſſime Pater demirari cogor. Tu ſi quidem virtuti a prima ætate penitus conſignans teipſum, illam traxiſti ad naturam, vt ſic quæ ſecundum eſſe erat corruptioni obnoxia, ex operibus firmam caperet incorruptionem. Vidit planè hoc Caſinenſis familia, quæ in ipſo Religionis limine, ſupremas in te Religionis partes

aſpexit; quæ in vno Gregorio Copino collectos perfectionis cumulos obſtupuit, quos & in alijs diſperſos non parum attollebat; quæ tam perſpicuos ſingularis tuæ prudentiæ ſenſit effectus, vt quam primum publicis muneribus adſcripſerit. Meritò proinde in his te omni expectationi ſuperiorem comprobans, feſtinauit etiam dignitatibus coronare, non tam vt honorem afferrent, quam acciperent. Tandem eo deuenit in meritorum tuorum lance Præſulum Caſinenſium plauſus, vt communi ſingulorum voto ad regimen Procurariæ Generalis ſublimarint. Hic

quid

quid egeris in totius Religionis bonum, quo conſilio, dexteritate, prudentia, vigore, perfectum Caſinenſis Reipublicæ ſtatum ſeruaueris; quam incredibili ſapientia, & ſedulitate publica negocia perficeris, non dicam, quia paucis dicere nequeo. Hoc vnum dicam, nihil ad normam perfectiſſimi Monachi, nihil ad ornatum ſapientiſſimi Præſulis in te deſiderari. Amplius id certò placet ominari; Congregationem Caſinenſem, vbi in alijs publici muneris ſæpe exitum auidiſſimè expetiuit, denuo in te multoties expetituram exordia. Sic itaquè immortalitati

ſe-

ſecurè ſtabunt tua gloria, & nomen. Quibus non in alio litare valens, ſaltem in hoc vno inſeruire maximè opportunum duxi; ſi librum Leonis Allatij contra Etruſcas Antiquitates, apud doctos quoſque ſatis celebrem; denuò imprimendnm dicarem. Sit ergo hoc tibi ſi non ęquum meritorum obſequium, ſaltem minimum obſeruantiæ meæ pignus. Vale.

Il-

# Illuſtr.mo Supremi Senatus
## GALLIARVM PRINCIPI D.D.
# NICOLAO LE YAE
## COMITI CONSISTORIANO
### ET EQVITI TORQVATO

Sebaſtianus-Cramoiſy S. P. D.

*QVàm pronum ſit humanum genus in ſupponendis, ſubſtituendiſq. titulis atq. inſtrumentis ad res ſuas amplificandas, comparandaſq. diuitias alieno damno, & periculo: teſtis ipſe es omni exceptione maior* (Illuſtriſſime Præſes) *qui à primis Adoleſcẽtiæ annis per varios magiſtratuum & dignitatũ gradus, quaſi per totidem triumphos deductus; experiri potuiſti quàm multa ab hominibus quotidie ſupponantur teſtamenta, quot debitiones pecuniarum ſupponantur, quàm frequenter corrumpantur chirographa, quàm ſæpe ſigilla ipſa regia & ſacra adulterentur! Auarorum hoc crimen eſt, & eorum qui per fas & nefas colligendis & corrogãdis opibus ſtudent. Mirum autem eſt ſcelus hoc cadere etiam in eos qui nulla lucri cu-*

*piditate ducti, nulla auaritiæ macula ſordidi, traducunt hoc vitium in bonas litteras, & innocẽtes muſas hoc velut latrocinio infamant. Superiori ſæculo* Annæus *quidam* Viterbienſis *inaudita hactenus fraude, vt compararet ſibi apud Poſteros famam & gloriam, auſus eſt neſcio quæ ingenij ſui laſciuientis deliria* Beroſi antiquioris ſcriptoris Chaldæi *nomine euulgare.* Carolus *quoq.* Sigonius *reconditæ Eruditionis vir, & Tullianæ eloquẽtiæ eximius imitator,* Orationem Ciceronis de Conſolatione *fæturam ingenij ſui tanquam germanum & genuinũ præſtantiſſimi illius Oratoris opus obtrudere conatus eſt. Ecce nouiſſimè non abſimili Sycophantia* Fragmenta quædam Antiquitatum Hetruſcarũ *à duobus (ſi dijs placet) annorũ millibus ſepulta, fortuitoq. effoſa* homo Florentinus, *nobili alias ſtirpe oriundus, & bonarum artium nõ imperitus, in lucem produxit, velut rudera primorũ ſæculorum & monimenta certiſſima veteris hiſtoriæ non Etruriæ modo ac Italiæ, ſed orbis totius; quaſi illa ſcripta ſint & compoſita Syllanis temporibus, vt eo vetuſtatis aucupio artificioq. fidei eorũ & autoritati lenocinaretur.*

*Cum*

Cum ſubolfeciſſet dolū Leo Allatius, emunctæ naris vir, & in lectione veterum Græcorum ac Latinorum verſatiſſimus, temperare ſibi nō potuit quin detracta larua & remoto fuco, tam inſignem fraudem omnibus patefaceret ſingulari libello, quem offerendum dicandumq. nomini tuo (Vir Illuſtriſsime) conſtitui. Eius exemplar manuſcriptum cum ad me perueniſſet neſcio quo fato & fortuna; officij mei eſſe duxi ad multorū animos grauiſſimo errore liberandos atq. exſoluendos, typis illud committere, & ad gratiam illi auctoritatemq. conciliandam tibi conſecrare. Dudum eſt quod teſtari animum meum erga te propenſiſſimū aliquo publico monimento geſtio. Et cum in ſumma illa honoris dignitate, ad quam gradatim noua ſemper meritorum acceſſione conſcendiſti, virtutes tuas venerarer, colerem humanitatem erga me tuam: quærebam argumenta officij, & obſequij noſtri, quibus innoteſceret Poſteris me citra ſuſpicionem corruptæ integritatis tuæ potuiſſe Summum Iuſtitiæ Præſidem aliquo munuſculo demereri. Hæc dona ac munera ſunt, in quæ neq. fraus neq. crimen repetundarum cadit. Cætera vel leuiſ-

ſima

*ſima dum accipiuntur à Iudicibus,eorum manus polluunt, & cõtaminant. Munerum hoc genus vt Innocentes adoritur, ſic facit integros. Nemo Iudicem propter hoc facinus poſtulauit vmquam iniuriarum.Tam excelſa eſt tua virtus,tam inclyta & illuſtris;vt plurimos inuitet ad eiuſmodi munerũ oblationẽ:cumq. ſciant clauſas tibi eſſe manus ad aliorum donorum captionem,apertas ad effuſionem;confugiunt ad hanc donationis ſpeciem,ex qua lõgè plura & potiora in erogantes quàm in accipientẽ deriuantur. Hac ſpe dulciſſima allectus,plurimum à te fauoris & gratiæ cõſecuturum me ſperabo; ſi, pro tua ſolita bumanitate & comitate,patrocinium huius Opuſculi ſimul & munuſculi ſuſceperis. Etenim præter ſummum beneficium, quod in me locaturus es;cum docti omnes hiſtoricæ veritatis amantes & cultores vide rint probari à te* Animaduerſiones iſtas: *ſtatim intelligent ſubreptitia* Etruſcarum Antiquitatum fragmenta *ſupremi Senatus Galliarum,cuius Tu* Caput,Dux, & Princeps *exiſtis, ſanctiſſimo decreto damnari.Vale,Pridie Idus Iul.anno ſalutis* CIↃ IↃC XL. *ex Typographeio regio*.

# LEONIS ALLATII
# IN ANTIQVITATVM ETRVSCARVM FRAGMENTA AB INGHIRAMIO EDITA ANIMADVERSIONES.

*Ex Opere eiuſdem* Leonis *non edito, De Libris Apocryphis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. VIX me, & non ſine ſtomacho, à logis hiſce ridiculis, ac meris nugis expedientem, en nouum Augiæ ſtabulum, maleolentiæ, ac flagitij plenum, retardat. Repentinò enim neſciounde irrepentia *Etruſcarum Antiquitatum fragmenta*, amica ti-

 tulo,

tulo, argumento concupita, nouitate rara, & ſuo decore, ornatuque deſiderabilia, vix ſatis otium ſtudio meo ſuppeditarunt. ſed heu miſeram rerum humanarum conditionem! Annon modò magis, quàm vſquam aliàs appoſitè dixerim, *magnus liber, magnum malum?* Venenum ſub melle eſt: tribuli vbique, & rubi. Audi Dametæ Virgiliani monitum;

*Qui legitis flores, &* HVMI NASCENTIA *fraga,*
*Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.*

Decliue nobis, & Cæcinæ fluminis ripæ. Euge Menalca.

*Parcite oues nimiùm procedere, non bene* RIPAE
*Creditur: ipſe aries* ETIAM NVNC VELLFRA *ſiccat.*

Lapides, etſi nigerrimi, apponuntur. O catè dictvm Alcæi, & Nicandri. ὑπ' παντὶ λίθῳ σκορπίος, *ſub omnem lapidem ſcorpius*, φράζεο μή σε βάλῃ, *caue ne te feriat*. An non ego ſtultus, & improbus; & in me ipſum, eo etiam, qui ludificat, inclementior, ſi toties ab eo in ipſa Operis fronte admonitus, vt caueam; *Caue, Caue,*

*Caue,*

*Caue*, mihi non cauero, ſed rebus propoſitis adeò inauſpicatò conſenſum præbuero?

II. Verum enimuerò, antequàm rem ipſam agam, omninò mihi ſuperioris, noſtrique ſeculi malitia, calliditas, ac ſumma improbitas deploranda eſt, qua non tantùm diſciplinæ omnes, & quidquid in poſteros à benemerentibus progenitoribus, non exiguo cum commodo, multo verò labore, & perpetuis per manus, vt ita dicam, traditis vigilijs propagatum fuerat, ſed ius etiam humanum, diuinumque violatum, atque imminutum: Hìnc ſcelere, & perfidia humanitatem, pietatem, religionem, templa ipſa, & quicquid ſanctiori quodam conſilio antiquitas venerabatur, immutari, ac turbari temerè cœptum eſt à nonnullis. Sola nobis integra, vt videbatur, Hiſtoria ſacrilegos conatus effugerat: aſt hiſce ſeculis ea quoq; Hiſtoriolis quibuſdam ex peruerſo hominum genio natis, non ſine ingeniorum diſcrimine nutauit: & quæ iam poſt primos impetus ſapientum perſpicacia in vado eſſe cernebatur, nouis renaſcentibus machinis in

dubium venit: &, ni ſaniorum conſilio, homines, non ita oculati ad omnia, prudentiores effecti, rabiem vitent, in periculum vertetur. O callida pectora! ò fæcundas hominum mentes, ſed in perniciem, & ruinam! ò ſudores, & vigilias, ſed inanes, ſed perditas! An non ſatis erat humano generi cum tempore ipſo colluctari, vt ſibi Patrum memoriam illibatam conſeruaret, ni vnà cum ipſa vetuſtate multi, ſed ad fraudem, ingenioſi, veritatem nouis figmentis de medio tollerent? Tam immanem, tam fœdam peſtem ab aris, à focis, & à iugulis noſtris, non ſecus ac ſanæ, diuinæque doctrinæ violatores, ferro, flammaque prudentiſſimis Principibus, pro ſecuritate veritatis, quæ ante omnia præ oculis haberi debet, depellere laborandum eſſet. Quantum porrò in Hiſtoriam auſus ſit Collector harum Antiquitatum, qui ſe Proſperum, ſed haud proſpero Reipublicæ literariæ omine, nuncupat, ex his, quæ infra dicemus, liquidò patebit.

III. Animo igitur illud primùm reputemus, quomodo fieri potuit, vt ſimiles Etruſcorum Antiquitates, ſcriptio-

ptioneſque in eodem argumento, dum illi opibus, & imperio anteirent, multæ omnino, ac variæ, ſi vera ſunt, quæ Luſor imponit, adeò in angulis, & ſacris penetralibus latuerint, vt tanto temporum interuallo effugerint Romanorum manus, ſilentioque præter rem inuolutæ, à nullo fuerint commemoratæ? cum illæ & Romanorum Originem, & Vrbem ipſam conditam, multò quam Romani dicerent antiquiorem; & ante Romulum, Remumque multos, & non incelebres Reges indicarent, atque adeò non ingratæ, neque illaudabiles acceſſiſſent. Studium in illis perquirendis, & Romanorum operam, Romani ipſi nobis, dum minima quæque hinc, & illinc ex traditione non firma colligunt, & ſcripto mandant, ſatis abundè demonſtrant. Non defuit ergo deſiderium, non facultas, qua vel exhibitores, ac benè meritos remunerarent, vel contumaces, quemadmodum heri ſeruos, & captiuos, plecterent; ab inuitis etiam per vim extorquerent. Idque faciliùs obtigiſſet, cum ſcripturæ illæ, ac rerum memoriæ, eædem, vel aliæ non vno in-

loco, aut ciuitate, ſed pluribus diuerſæ, ac ſparſæ paterent ſingulis.

IV. Adde Etruſcorum in illis aſſeruandis paruam, aut nullam, vnam ſi excipias Proſperi, diligentiam, illiſque cuilibet concedendis, aut exſcribendis liberalitatem. Pag. 2. *Proſpero conceſſum eſt à ſanctiſſimis Auguribus, vt ſecum, quas vellet ſcripturas, deferret, qui ſæpiùs huc illuc multas detulit, paucaſque præ illis, quæ Vulterræ in Gordo cuſtodiebantur, illi reſtabant.* Et pag. 216. *Conceſſum illi eſt, vt Augurum ſcripturas, quas ipſe vellet, in arcem deferre, nec alicui exemplar tranſcriberet ſine conſenſu Collegij.* Ergo cum conſenſu Collegij, exemplaria petentibus tranſcribebantur, & hùc illùcque non tantum copiæ, ſed autographa etiam transferebantur. Quomodo itaq; Romanos fugere potuerunt? quomodo cuſtodes illi tam multi, tam varij ex ingenio Proſperi fuerunt, vt omnes Romanis inuiderent? Aliquis ex Augurum illo tam ſacro Collegio diceret. O ſanctam, ò religioſam Scribarum cuſtodiam, nullo auaritiæ, nullo indigentiæ crimine, nullo fauore interpellatam! An vbi

cul-

culpam etiam ingenui admittere potuerunt, ſoli Scribæ erunt innoxij? ſi Feſulanus ipſe non fuit, qui in gratiam Amici, pag. 13. iuſtam legem tranſgreſſus eſt, & aſſeruata Augurum Collegio, & quæ nulli fas erat videre, nec reuelare repoſuit, ideoque honorem ſuum, poſtquam eum legis violatione contaminauerat, amico commendat; quid ab alijs, quorum minùs intererat, expectandum erat? Quid à ſeruis non ſemper bonis, ſed vt plurimùm ad comminiſcendas fraudes aptiſſimis, ſubdolis, aſtutis, perfoſſoribus parietum, furibus, perfidis, ſacrilegis? Quorum malitiam pag. 114. Feſulanus quoque deteſtatur: en verba; *Qui aurum forſitan poſt mortem meam aut ipſi diripient, quod potiùs vellem, aut Romanis tradent, quod iniquiſſimum, & immane ſacrilegium: licet ſacramento promiſerint, tamen ſeruis non credo. quare hunc librum multò precioſiorem auro, quod tibi neceſſarium aſtra promittant, ſolus in viſcere terræ benè obſignatum coniiciam.*

V. Solent Magiſtratus Vrbium, & Principes multa imperij ſui, quæ

ipſi vocant arcana, non omnibus, neque cuilibet proloqui; ſed quædam conſilio ſanctiori, alia nonniſi ex intimis amicis, plurima etiam ſibi reſeruare. Ea namque cùm periculum ſibi, aut Regno, ſi palam omnibus innotuerint, afferre poſſint; vel commoda, quæ inde proueniunt, deturbare, pro incolumitate ſui, atque Imperij, ſilentio obtegenda ſunt: eodem conatu, & quæ hoſtibus prodeſſe poſſunt, Regno conſulentes ſuo, tacent. Aſt vbi vel conditio illa temporis ceſſit, vel rerum ſtatus immutatus eſt, parum illis curæ fuerit, ſi, quæ ipſi occultarant, palam in aures omnium veniant. Interea & Hiſtoriæ nonnulla pars locum habebit, ſi quid fortè, quod Principi non arrideat, in ſe continet; quæ etiam, mutata rerum facie, ſine ſuſpicione volenti patet. At omnes vnius Regni ſcripturas, atq; Hiſtorias, & ſecreta artium, perpetua diligentia, in latebris, ac munitiſſimis carceribus mancipaſſe, ita vt nullo tempore, etiam longiſſimo, lucem viderint, neque Augures ipſi dicent. Scripturæ, quas hic repoſuit Feſulanus, (de Hiſtorijs loquor, nam de

aliјs nugis, nugax ipſe eſſem, ſi negotium Lectori darem) quid vtile Romanis, quid Etruſcis damnum important? Annon ſummæ Etruſcorum gloriæ erat apud omnes monſtrarier, & dicier, Hi primi poſt aquas, regno, eoq; præclariſſimo potiti ſunt, & genus humanum adeò propagarunt, vt non in Italiæ tantùm partes, ſed longiſſimas etiam Orientis, atq; Occidentis plagas, colonias deduxerint; Hi inculta, atque horrida, nouarum artium, & diſciplinarum inuentione molliêrunt; Hi Romanis antiquiores, Romanis ipſis nomen, & imperium propagarunt: & tam multa alia, quæ Luſor congerit? Annon vice verſa Romanis, de Orbis imperio, cum Orbe ipſo decertantibus, ſummæ ignominiæ erat, ab aliјs originem ſuam cognoſcere, ab aliјs etiam nomen mendicaſſe, ab aliјs Reges ſuos expulſos recuperaſſe, ab aliјs, quidquid ipſi præclarum obtenderent, accepiſſe? Dionyſius Halicarnaſſeus, Romanum ſermonem, & regionis literas edoctus, per annos duos & viginti, partim ex doctiſſimorum hominum colloquiјs, partim ex laudatorum virorum Commen-

mentarijs, quos ſuperiora tulerant tempora, Porcij Catonis, Fabij Maximi, Valerij Antiatis, Licinij Macri, Ælij, Gellij, Calpurnij, aliorumque non ignobilium Scriptorum, Hiſtoriam Romanarum antiquitatum concinnauit: is ſimiles Etruſcorum antiquitates, aut non vidit, aut non audijt; vel viſas, & auditas tanquam futiles, nulliuſque auctoritatis ſcriptione, vti nonnullas alias, omnino laudaſſet, vel contempſiſſet. Quod de Dionyſio dicimus, de alijs etiam rerum Romanarum Scriptoribus affirmamus.

Hæc itaque ſcripta, vel ſimilia, qualia multa fuiſſe veroſimile eſt, nullus ex Romanis, nullus ex Græcis, nullus ex alijs Hiſtoricis, vidit, aut laudauit, neque Etruſcorum Imperio florente, neque eo exciſo: probabiliſſima illa cauſa erit, quia ea tempeſtate non fuerunt.

VI. Et vt magis vrgeam: Etruſci ſi ſeruandum ſibi quicquam conſtituiſſent, nihil aliud maiore vi, & opibus carius cuſtodiſſent, quàm ipſam vaticinandi artem, qua cæteris nationibus præcellere ſe exiſtimabant;

ea namq; multa ſibi commoda, hoſtibus diſcrimina comparaſſent. Pag. 1. *Verum inter ea, quæ natura homini præſtitit, primas habent Auguria. nam ex his, quid Patriæ, quid nobis, quid amicis, quid filijs, parentibus, & alijs, etiam poſt mille annos, & plures, futurum ſit, nouimus: Quid aſtra, quid cæli bonum, aut malum portendant: & Dij ſæpe per aues ſuam voluntatem palam faciunt. Non tamen cogunt hominem augurio; nam Maximus Eſar, cum hominem creaſſet, eum ſuæ voluntatis liberum poſſeſſorem conſtituit; vt quid mali aſtra, cæli, fulgura, fulmina, auesque, aut beſtiæ demonſtrant, prudens poſſis tua voluntate vitare; verum ſi quid boni promittunt, te tua nequitia, & ſtultitia priuabis.* Quis adeò intemperans fuerit, quis adeò ſibi, ſuisque malè volens, vt exteris, & quibuſcum magnas rei familiaris controuerſias exercet, tam pretioſum effunderet, nullo compellente, patrimonium? Et tamen Etruſci Romanis effuderunt. Diuinandi quippe artem, augurandique diſciplinam ab ipſis Romani imperij incunabulis

Romani ex Etruſcis πολλῷ τῷ μέτρῳ hauſerunt,& Luſoris ipſius ætate hauriebant. Alij nimiùm tinniant. Ego ex Cicerone de Diuinatione lib.1. & 2. De Legibus lib.6.Seruio in 3. Virgilij. Feſto Pompeio lib. 18. Ouidio Metamorphoſeon lib.15.Valerio Maximo lib. 1. cap. 1. & recentioribus, Roſino, Dempſtero, Briſſonio, ab Alexandro, Tiraquello, Calcagnino, & alijs, apud Romanos, ſicut iura dare, & ſapere, ita & diuinare Regum munus fuiſſe, & à primo ortu Vrbis, eoſdem Reges, & Augures, qui futura prædicerent, & iura darent: Denique Romulum hoc ſacerdotio præditum optimum augurem aſſero: idque ex more aliarum gentium didicerunt Romani. Nemini Regem Perſarum eſſe licebat, qui non ante, vt Cicero teſtatur, Magorum diſciplinam, ſententiamque percepiſſet: ſicut & Scythæ ôlim Reges, & Sacerdotes ex præſtantioribus Philoſophis ſecretorum naturæ gnaris creare conſueuerunt. Annon item proditum eſt, Romæ Optimatum filios ſex, vt Cicero, vel decem, vt Valerius ſcribit, Etruriæ populis, vt augurandi artem ediſcerent,

rent; ex decreto Senatus in diſciplinam tradi ſolitos, vt Romæ augurandi ſcientia, & ars innoteſceret; quæ quidem incredibilis, & planè diuina Feſulis præcellebat, vbi domicilium Augurum eſſe fatebantur, quod ex veteri lege ſancitum erat in hæc verba; *Prodigia, & portenta ad Etruſcos Aruſpices, ſi Senatus iuſſerit, deferunto: Hetruriæque principes diſciplinam diſcunto, quibus diuis decreuerint, procuranto, ijſdem fulgura, & oſtenta piauto, auſpicia ſeruanto; auguri parento.* Cic.2.de Legibus. Liuius lib.9. de M. Fabio Cæſone, ſiue de C.Claudio. *Cære educatus apud hoſpites, Etruſcis inde literis eruditus erat: linguamque Etruſcam prope nouerat. Habeo Auctores, vulgò tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Etruſcis literis erudiri ſolitos.* Fruſtra hic aliorum teſtimonia emendicamus, pag.126. Præfectus Scornellianæ Arcis vniuerſo populo, & feminis ipſis tamquam rem notam, & certiſſimam id idem proponit: *Vt vos omnes ſcitis, ipſi Romani hoſtes noſtri, quamuis ſemper curauerint, & curent nos, noſtramque gloriam deprimere, ad diſcen-*

*ſcendas ſcientias hùc conueniant*. Ab antiquo itaque æuo inter Etruſcos, Romanosque non negotiorum tantùm, ſed & diſciplinarum, & præcipuè auguriorum commercium interceſſit, à quibus diuinandi artem, & munera ſibi conquirebant, neque ex ijs aliquid Romanis denegabatur; quæ & opere, & ſcripto Romani ipſi profeſſi ſunt: nec eorum notitia aliunde, quàm à Romanorum ſcriptis haberi poteſt. Num ergo Hiſtoriolas, quas hìc congeſſit Luſor, vel ſimiles rerum narrationes è Romanorum manibus exemiſſent? ſi tunc temporis erant, profectò Romanos non effugiſſent; & Romani ipſi eorum potiti, dum antiquorum Hiſtorias recenſerent, eorum quoque vel tacito, vel expreſſo nomine mentionem feciſſent.

VII. Sed quid moror? publicas Hiſtoriarum editiones, tritasque omnium manibus ex Luſore ipſo colligo pag. 221. ait nanque primos Collegij Augures pro excitanda ſopita poſterorum ſobole ad virtutis ſemitam, ſtatuiſſe, vt Magiſtri eligerentur, & quæ Magiſtri poſtea propoſuiſſent in libros referrentur: ideo-

que

que Etruſci ipſi in Latinam eorum linguam vertebant, ne tam præclara Etruſcorum monumenta perirent, ob iacturam, quam patiebatur Etruſca lingua, pag. 104. & 14. Cecinna Vulterræ ædificationem, cùm arx, vt ipſe ait, à Lucio Sylla diruta eſſet, ne periret, Latinis literis ſcripſit, & Collegio Augurum donauit. & 19. Elbius Maurus Etruſcorum egregia facinora, ex diuerſis antiquorum monumentis, & Hebraicis, & Hetruſcis breuiter Latinis literis in compendium redegit, ne Etruſcorum gloria penitùs euaneſceret: Nolo hìc Luſoris pag. 104. malè comptam argumentationem exagitare. Auorum enim virtutes, quibus poſteri ad gloriã excitantur, non in theſibus, ac ſententijs lingua tenus prolatis, ſed facinoribus egregiè pro Penatum, ac Patriæ ſalute, necnon incolumitate imperij præſtitis, cõſiſtunt. At hic, quæ præcipua erant, ſiletio inuoluit, reliqua minoris cõditionis, Magiſtrorum nempe ſententiolas in libros digeri, à Collegio tradit imperatum fuiſſe. Si dicat etiam Hiſtorias, & Auorum præclara facinora in libros digeſta fuiſſe, quibus poſteri virtu-

tem ediſcerent, nil refert. Illud tantum neceſſariò concludo, Libros hoſce, ſiue de Hiſtorijs; ſiue de ſententijs compilatos, ſine vllo diſcrimine volentibus patuiſſe: vt earum lectione postremi homines ad virtutis gloriam inuitarentur, haberentque maiorum geſta, quæ cùm opus eſſet, poſſent æmulari. Quæ itaque omninò communia erant, quomodo Romanos, cùm inter eos, & Etrùſcos continuæ, ſeueræ, iocoſæque congreſſiones eſſent, & communitas vitæ, atque victus, latere potuiſſent? Reclamitat, vt finiam, iſtiuſmodi antiquitatibus Bonauentura Caſtillioneus in Gallorum Inſubrium antiquis ſedibus, qui ait, in Caſtro Septij marmora eſſe, characteribus, vt ipſe arbitratur, Etrùſcis inſculpta, quæ nullum in præſentem vſque diem intellectum admittunt. Ea ab aliquo Etruſco Aruſpice appoſita fuiſſe, non tamen ab illis, qui ante Belloueſum hìc regnabant, vt aliquorum erat opinio; quando fidem omnem excedat, marmor ab illis ad hæc vſque tempora durare potuiſſe. Galli verò in Italiam Priſco Tarquinio Romæ regnante, ſub Belloueſo,

ac

ac Sigoueſo Ambigati ſororis filijs, circa annum ab Vrbe condita 157. mundi 3407. ante Chriſtum nempe 595. Æræ Vulterranæ, 2263. cum non integra, neque inuiolata, ſed confecta iam ætate, imperium illud ſeneſceret, tranſierant.

VIII. Quemadmodum ergo planiſſimè demonſtratur, has Scripturas nullas, temporibus, quibus finguntur, fuiſſe, euidentiſſima quoque ratione confirmatur non fuiſſe, vt Luſor fingit, rerum plurimarum plures compoſitores, ſed vnum compilatorem, qui omnia iſta eodem genio, & ſermone dictauerit, ac calamo ſcripſerit. In illis enim nulla ſtyli diuerſitas, nulla ſententiarum varietas, nulla inuentionis, nulla denique ipſius compoſitionis differentia: quæ hominibus longo temporum interuallo disiunctis, tempeſtatum ipſa conditio, & rerum publicarum ratio, & doctrinarum tenor immutatus non concedit modò, ſed leniter, & mutatione haud percepta ingerit. Aliter enim res pertractabant, dictionisque alia nota exprimebant, ſi rerum harum peritis credere non abnuimus, qui ante bel-

bellum Peloponneſiacum, & aliter, qui poſt illud prælium, & aliter, qui temporibus Chriſti, aliter qui temporibus Iuliani, & aliter qui ſubſecutis temporibus, ne ſingula recenſeam. Imò quantum abeſt à Varrone Cicero, Cæſar à Cicerone, à Salluſtio Liuius, Liuius ab Hircio? & tamen, vna omnes ætas tulit. In recentiſſimis à principibus Italæ linguæ Boccacio, & Petrarca ad hæc noſtra tempora, quanta linguæ, quanta characterum mutatio facta eſt? Sanè primi illi, ſi recentiorum ſcripta percurrerent; neſcio an ſententiam planè intelligerent, & alia ſe lingua locutos abſque dubio faterentur. Ioannes Iſacius Pontanus Appendice ad Itinerarium Galliæ Narbonenſis par. 2. tradit Gallos gentium barbararum, influxu,& Francorum dominio, non communionem ſolùm imperij Romani, ſed etiam leges eorundem, & linguam amiſiſſe; & linguam potiſſimùm, quam à Romanis acceperant, ita genium,priſtinumque vultum perdidiſſe, vt aſſumpta peregrina tum, inflexione, tum phraſi ipſammet peregrinam,& nouam cenſeri. ſic enim
factum

factum eſt, vt quod annis ferme quingentis, Romanis præeuntibus, benè didicerant Galli, tunc dediſcendum, & ad priſcam illam, & primigeniam ſuam, ſi flexionem conſideres, loquendi normam tanti poſtliminio temporis, ipſis reuertendum fuerit. Id idem de Italica quoque, & Hiſpanica ſtatuit, quæ antiqui modò Latij nothæ ſunt filiæ, Germaniſmo, Gothiſmoque variè obfuſcatæ. Vide eundem Originum Francicarum li. 6. cap. 24. De literis, atque characteribus Afrorum variè ob externarum gentium inuaſiones immutatis, ac planè abolitis, vide Ioannem Leonem Africanum in deſcript. Africæ lib. 1. Vt enim clauus clauò truditur, & veterem hominem ſemper nouus expellit, ſic & locutio recentior vetuſtiorem è commercio hominum excludit; quam deinceps & vigilijs, & ſudoribus inexhauſtis, dum reparare conamur, fruſtra operam ludimus. Non potuit ergo Etruſcorum locutio ſemper eadem, dum cætera illorum aliam faciem induerunt, perſiſtere. Et quemadmodum ex Hebræa in Etruſcam, & ex Etruſca in Lati-

Latinam, ita & ex Latina in eandem Latinam, ſed longè diuerſam, neceſſitate quadam, ac viciſſitudine rerum humanarum debuit commutari.

IX. Cùm enim conſuetudine, & progrediente vſu res humanæ perficiantur, & ſingulis diebus alium, atque alium hominum arbitrio proſpectum induant, haud fieri potuit, vt res quàm maximè conſueta, & quotidianis viciſſitudinibus obnoxia, immutabilis permaneret. Hinc Victorinus Afer lib. de Orthographia *Antiquitatem*, aiebat, *poſterior conſuetudo vicit*. Et Quintilianus cap. 8. *Orthographia quoque conſuetudini ſeruit, ideoque ſæpe mutata eſt.* Vnius, illiusque probatiſſimi ſcriptoris Polybij teſtimonio probabo: hic nanque lib. 3. fœdus inter Romanos, & Carthaginienſes ictum Conſulatu Iunij Bruti, & Marci Horatij interpretans, tantam inter eam linguam, ab illa, quæ ſuo tempore in vſu erat, diuerſitatem fuiſſe refert, vt non niſi à peritis, ijsque vix etiam intelligeretur. Τηλικαύτη γὰρ ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν

πρὸς

πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις δι' ἐπιστάσεως διακρινεῖν. *Veteris ſanè linguæ, etiam Latinæ, tanta diuerſitas eſt ab illa, qua hodie vtuntur, vt vel periti ſſimi nonnulla ægrè, vbi animum attenderint, explanare queant.* Et notanda ſunt illa verba Καὶ παρὰ Ῥωμαίοις, *etiam Latinæ*. in alijs nempe id eueniſſe affirmat, ab eoque Romanam etiam ipſam non fuiſſe immunem. Plurimis argumentis idem corroborat Celſus Cittadinus, libello de Linguæ Italicæ origine. & potiſſimùm de Poëtica, & Medicina ſatis eleganter Gilbertus Gaulminus epiſtola Præfator. in Theodori Prodromi lib. de Rhodanthes, & Doſiclis Amor. ſcribit enim non Populorum modò, ac linguarum, ſed artium etiam finem eſſe: creſcere cum imperijs ingenia, adultaque, euectaque ad faſtigium, occidere: *Adeò quidquid eſt, ideò quia fuit, aliquando non ſit oportet.* Ludunt ergo nos qui in hiſce Etruſcis antiquitatibus tot Hiſtoricos, *Lidorim Felſinium, Lampridium Senenſem, Antium Gredonium, Ennium Dandolium,*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*lium, Elbium Vulterranum, Mutium Moriconium, Lucium Volumnium, Amuccium Voluſium, Alcum Filaccum, Policratem Licinium Arretinum, Aulum Quintilium, Mecenam Cæcinam, Elbium Maurum, Aruntem Petronium, Cranum Maſſum, Titum Aulicum, Azzum Moriconium, Aulum Flaccum, Lucium Areianium, Lucium Velium, Ancum Cæcinam, Alcum Dorium, Inum Paccium, Herculanum Maurum, Proſperum Archium*, & ante alios *Proſperum Feſulanum* obtrudunt; licet alijs, atque alijs temporibus vixerint, vnum ab alio diſiunctiſſimum, eadem dictione, atque charactere omnia enarrantes, & ſui ſemper ſimillimos, & forma pari; vt Mater ipſa non internoſcere poſſet, quæ mammam admouerit. Niſi hoc inter regni Etruſci miracula, in gratiam Proſperi Feſulani, accenſere velimus; natura certè ſermonis id ferre non potuit.

X. Nec dicas argumenti ſimilitudine id contigiſſe, cùm argumentum multiplex ſit, & quod vnam dicendi formam vix, niſi per nefas, admittere poſſet. Alio enim ſermonis

gene-

genere nos ipſi vtimur, dum Hiſtoriam ſcribimus, alio dum epiſtolas dictamus, alio dum ſententias cudimus, & alio dum ſacra recenſemus: & hæc eadem argumenta, vel his ſimilia, aliter, atque aliter à linguæ magiſtris pertractata ſunt: Aliter enim Cæſar, & Salluſtius narrant, aliter declamat Quintilianus, aliter philoſophatur Seneca. Quid multa? Auctores apud Macrobium minimè pœnitendi, Saturnalium lib.5.cap.1.aiunt Mantuani facundiam multiplicem, & multiformem, dicendi genus omne complecti: & in tanta omnium diſſimilitudine vnum omninò inuentum eſſe, qui eloquentiam ex omni genere conſtruxerit, & admirabilem in oratione multiplici, numeris diſſimiliter emodulatis, concordiam fecerit. *Ignoſcite*, ſubdit, *nec nimium me vocetis, qui naturæ rerum Virgilium comparaui. Intra ipſum enim mihi viſum eſt, ſi dicerem decem Rhetorum, qui apud Athenas Atticas floruerunt, ſtylos inter ſe diuerſos hunc vnum permiſcuiſſe.* Ipſe eloquentiæ pater Tullius, ſi doctiſſimo, ac eloquentiſſimo Tarquinio Gallutio fides ha-

habenda eſt, vt ſanè haberi debet, de Virgilij Allegoria vniuersè, Orat. 1. plura ſimul dicendi genera admirabili modo temperauit. Ille nempe, vbi res, & cauſa poſtulat, nunc breuis, & paruus, nunc gracilis, & preſſus, nunc varius, pictus, ac floridus in rebus pro dignitate comendis; & pro materiæ norma orationem informat, dumque alia, atque alia tractat, multùm à ſe ipſe differt. Scriptores tantùm Etruſcarum antiquitatum nulla in re abſunt: ſemper eneru es, languidi, conciſi, incompti, barbari, balbi, niſi vbi garrulitas locum habet; ſemper timidi ne errent; nullo antiquitatis, nullo vetuſtatis ſucco pingues, aut conſpicui.

XI. Neque eos excuſat Interpretis munus, quo ſe nonnulli fungi profitentur. Eadem ſententia omnium eſt: idem dicendi modus. Noui ſæpiſſimè ab eleganti Scriptore, minùs elegantem Interpretem, elegantem factum. At pumex non dat aquam, quam non habet; neque argumentum aridè ſcriptum, Interpretem conſtituit diſertum. Siccitas in his monumentis à primo Auctore eſt, non ab Interprete. An forte meliores

ſunt

ſunt Interpretibus, qui Latinè ſcripſere, & inter eos Feſulanus? nugæ. Et hoc eſt, quod dixeram, ab vno fonte hos riuulos corriuatos fuiſſe: vnam radicem tot protuliſſe ſurculos: & vt nobis imponat, diuerſo Scriptorum genere circumueſtiſſe; id fortè in animo habens, Scriptorum copia, atque antiquitate, quaſi multorum teſtium dicto, parùm cautos obruere. Quamquam non ille fucum fecerit Viris ſapientibus, & catis, apud quos plurimùm valet ſcribentis authoritas. Saluianus Epiſcopus Maſſilienſis Epiſt. ad Salonium; *Omnia enim admodum dicta tanti exiſtimantur, quantus eſt ipſe, qui dixit: ſiquidem tam imbecilla ſunt iudicia huius temporis, ac penè iam nulla, vt hi, qui legunt, non tam conſiderent, quid legant: nec tam dictionis vim, atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem.* Hæc ſtyli ratio tanti ſemper fuit apud bonæ notæ Scriptores; vt ab eo ſolo, & parentum opera legitima à ſpurijs diſtinxerint, & tempus, quo Scriptor viuebat, non ambiguè, ſed digito monſtrantes repererint. Aureſque aſſuefactæ inter genuina

ipſa opera, inſulſa additamenta, exigua licet, internouerint. Quemadmodum hoc æuo accuratiſſimus Virgilianæ maieſtatis æſtimator, ac vindex Lælius Guidiccionus carmina illa quatuor, quæ præponi ſolent Æneidi, dictionem eorum cum reliqua diuini Operis dicendi ſtructura conferens, non ſine Romanorum ingeniorum admiratione, è politiſſimo Opere eraſit, Epiſt. ad Bernardinum Stephonium, cum eiuſdem Italicis carminibus edita. Vide quæ ſuper hoc adnotabamus in Diſſertatione Rhetorica, *de Erroribus magnorum virorum in dicendo*.

XII. Stylus itaque dicendi, & Character idem omnium eſt. Sed fortè elegans, purus, acutus, qualem nobis illius æui Scriptores informant? nihil minùs. Rubeta ſunt, ſpinæ; & locis in omnibus ementita dictione oratio ſylueſcit. quòd, ſi quando è ſomno excitatus paululum ſe erigat Luſor, & dictioni operam det; Deus bone! quæ congeries verborum, qui garritus, quæ barbaries, quæ glacies? Vno, eodemque tempore legentibus miſerandus, & ridendus, lacrymas, &

cachin-

cachinnos ciet. Licet animus ab re abhorreat, & à ſimilibus colligendis abalienetur, tamen vt Lector veritatem inſpiciat, pauca quædam ex infinitis, quibus ſcatet Liber iſte, ineptijs, decerpam. Miſeret ſanè me mei, qui ſtercora, dum alij è ſtercoribus aurum colligunt, quando iam ita neceſſum eſt, legam. Et ne longè à principio Libri abeamus, quaſi aliquid ſit in Libro, in quo non deprehendatur barbaries, ex ipſa prima Operis pagina exordiamur ipſius Proſperi Feſulani, qui meliori illo Latinæ linguæ æuo ſcripſiſſe fingitur.

XIII. *Ne ignores eum, qui multa à te inuenienda repoſuit, hanc Epiſtolam repono.* Quis hìc non videt leuem argutiam à recentioribus petitam, & ſententiam, quæ nihil antiquitatem ſapit. Vtinam, mi Auctor, ita ignoreris, vt ignoras! *Igitur ſcito*, Idiotiſmus. At quæ multa præmiſerat, vt periodus hæc per *Igitur* initium duceret? Feſula, Vulterra, antiquorum auctoritati repugnant, qui Feſulas, & Volaterras dixere. *Volumnia*, &c. *mihi mater*; non hæc illius ſæculi Latina locutio. Quid ſibi vult illud, *Quæ, vt*

*me primum natum peperit, ſtatim interijt?* Primum natum, ergo & alios habuit; at quomodo, quæ alios habuit natos, ſtatim poſt primum interijt? ſi verba, *vt me primum*, aliter interpreteris, quid opus eſt voce natum? num parere potuit non natum! Annon hæc ipſa dicendi forma barbara eſt, & minime Latina? *Quæ omnia hominum cauſa fecit.* Vulgariter, & plebeiè dictum. ſic illa, *poſt mille annos, & plures. Quid Cæli bonum, aut malum portendant.* Nunquam apud probatos Latinitatis Auctores, *Cæli*, ad hanc ſignificationem, plurali numero reperies. Et antiquum optimi ſæculi Auctorem obtendis, mi homo, iſta tam impura lingua? Rudimenta repete, ne rudis ſis. *Eum ſuæ voluntatis liberum poſſeſſorem conſtituit.* Quæ hic Latina locutio, niſi è triuio Cauſidicorum quæſita? Par huic eſt dialectus illa, *Te tua nequitia, & ſtultitia priuabis. Temeritas non eſt prudentia.* Ædepol, ſententia è Delphico Oraculo eruta! *ſub Anci Feſulani Patrui ſum poteſtate relictus*; puerilis verborum collocatio in hoc orationis membro. *Docuit omnes ſcien-*

*ſcientias;nam omnium ſcientiarum*, &c. Scientias nuſquam apud probatos Auctores plurali numero leges. *Quod ſcriba effectus fuerim, pergratum fuit mihi*. inepta verborum collocatio. *Tum ipſius Collegij, quod ſcriba*, &c. Videant Viri docti in tota hac periodo vſque ad verbum, *Demulcent*, qui ſenſus ſit, & quæ ſtructura verborum, & riſum teneant, ſi poterunt. *Chartanicæ*. Quæ vox iſta Oſca, an Etruſca? *Partim coherentium, partim non coherentium*. *Vt ipſam vitam pro ipſarum incolumitate perdere concupiſcam*. inepta, & fœda dictio. *Pars autem reliqua aſſeruatur in Gordo*, &c. *& eſt locus ad cuſtodiam Librorum deſtinatus*. Nomen, *Gordus*, ſeu *Gordum*, quod à te videmus nouiter pro Bibliotheca vſurpatum, affine eſt alteri, *Gurdus*, & cum eo fortaſſe idem, & hoc quidem apud Latinos antiquum eſt, quamquam vulgare, ſtolidum ſignificans, ex Hiſpanica voce deductum, Quintiliano lib. 1. cap. 5. teſte. Non igitur mirum, Proſperum, & reliquos in hoc Libro tam fatuè loqui, quorum Bibliotheca ſtoliditas eſt. *Illum inimi-*

*ci iterum perſequuntur, quare arma ſumere cogitur, vt ſe defenderet.* intempeſtiua, immo & ridicula temporis mutatio in hoc membro. *Me Magiſtri Equitum, & ſenatus Vulterrani, quibus teneor.* Barbariſmus cum idiotiſmo in hac ſignificatione verbi, *teneor. Feſula deprædata.* Boni Auctores habent verbum *prædari*, non *deprædari*; & hoc ipſum ſi concedendum ſit, haud paſſiuè obſeruandum. *Nihil epiſtola mea operata eſt. Diſſenſionibus plenus.* idiotiſmi. *Nec Præſidens erat*; nomen *præſidens* pro ſubſtantiuo recentiſſimum. *O, ſi liceret, ſacramenta edicerem.* Forma è recentiorum locutione. *Pecuniam in Arcis ærario conſtituunt.* barbarè dictum. *Vt quæ obſeruare iurauit, obſeruaret.* Quàm plebeia, & fæculenta! item & ea, *Multas alias Scripturas reponendas habet*, &c. *Sed etiam ſcito, quòd ſi tu, amicus, & Pater*, &c. *Scito quòd:* Elegantiſſima Ciceroniani ſæculi locutio! Dij te perdant imperite. *Semper viueres infelix, & ille moreretur ſubita morte.* Plebeia locutio, & è fæce vulgi. *Id ex tunc noſtræ familiæ* cognomen.

***Ex tunc*** barbarum eſt; quod Tullius, & verè Latini Auctores ſemper ***iam tum*** dixerunt. ***Vt videri eſt. Vt videre eſt*** apud Latinos habetur. Piget plura perſequi in tam humili, ac lutulenta ſcriptione; quæ tantùm abeſſe dignoſcitur ab aureo illo ſeculo, quo Proſper iſte ſcripſiſſe fingitur, vt eius vel minimum quemque noſtri ſeculi Hiſtoricum pudere poſſit; adeò ineptè pleraque, ac ruditer habita, verba, locutio, periodus, ſtructura, dicendi formæ, ſententia, ac ſtylus ipſe totus. Et quidem quàm hæc vera ſint, nouerint, qui in bonis Latinitatis Auctoribus verſati, eloquentiam è vero antiquitatis fonte, non è rabularum cœno hauſerunt. Bartholomæus Tortolettus, purioris elegantiæ, & priſcæ literaturæ conſultus, vt audijt has Antiquitates pænes me eſſe, auidè earum inhiauit lectionem, & deuoraſſet vtique: veruntamen vix, & non ſine cordis cruciatu Feſulani immani, atque intoleranda barbaria emenſa, non potuit continere iracundiam ſuam, quin Endecaſyllabos hoſce, quamuis ipſe ingenio mitiſſimo ſit, effunderet:

*At hunc Dij malè perduint Sophi-
ſtam,
Quicumque impoſuiſſe ſe Mineruæ
Confidit Latiæ, ſoloque Tuſco,
Cùm iuſſit loculis agreſtis oræ
Tot effœta latere paginarum
Inuolucra, & Adulteros labores,
Queis Etruria priſca continetur,
Et quæ ſicut ab inferis redire
Nunc audent, ſimulacra mortuo-
rum.
At qui ſic Ciceronis hoſpitatur
Linguæ lautitias politioris,
Et puros latices vigentis æui,
Vt diſtet benè ſeculis ab illo.
Sed viden, LEO mi, Viri venuſti
Aſtus, ingenium, ſales, leporem?
Obliquè, & malè ſcripſit, impu-
denter
Ratus ſcilicet hoc probare poſſe
Pagellæ titulum vetuſtioris.
O excors veterator, atque ineptus,
Cuius iura character imperitus,
Necnon barbara dictio tuetur:
Quem ni ex Aonio fugas theatro
Iraſcar calamo, tuiſque Muſis.*

Nec mihi Nugator hic pro antiquitatis exemplo dictionem ex his aliquam ex Accio, Næuio, Pacuuio, & his ſimi-

ſimilibus petitam obtendat ( ſi modo aut hos nouerit, aut id poterit ) nam ætas Latinæ linguæ melior, frequenti ſcriptione non fæces, ſed puram locutionem vſurpabat: quæ quàm abſit à toto hoc Libro, qui barbarie, ac vulgaribus formis vndique ſcatet, eſto æquus arbiter Lector ipſe.

XIV. Præter orationis ſtructuram, Annon etiam Orthographia, planè bonorum omnium ignari ſeculi eſt? Scribebatur à Syllano tempore vſque ad deperditæ eloquentiæ ætatem, *Tyrannide*, non *Tirannide*: *cohærentium*, non *coherentium*: *Thraces*, non *Traces*: *Cyrenæi* non *Cirenei*: *Bythinia*, non *Bithinia*: *Phryges*, non *Phriges*: *Etruſci*, non *Ethruſci*: *Etruria*, non *Ethruria*: *Tuſci*, non *Thuſci*. *Brutia*, pro ipſa Prouincia in ſubſtantiuo non habetur apud probatos Auctores, vt hic vſurpat. Nomina etiam, vt pleraque alia Etruſcorum Oppidorum plurali numero ferebantur, *Grauiſcæ*, *Frigenæ*, *Feſulæ*, &, quod omnium caput eſt, *Volaterræ*; quæ omnia ſingulari numero Feſulanus profert, qui nec Regiæ Vrbi pepercit, cùm Volaterras, & Volaterra-

nam maieſtatem in *Vulterram*, & *Vulterranam* anguſtat. *Proſperus* item ipſe nouus eſt, nec ab antiquitate, & decore Romano. & ſexcenta alia. ex quibus pauca hæc pro communi, illiusque ſeculi locutione ſufficiant. Vnius ſcholæ, ſiue millena recentiorum teſtimonia non id efficient, vt peculiares dictiones Proſperi, communes, elegantesque, & Syllani temporis ſint. Dicent, non fuiſſe veteribus eandem Orthographiam, neque eandem in ſcriptura conſuetudinem, neque eos omnes eadem conſenſione in ſcribendo conſpiraſſe. Nemo id inficias iuerit, hæc enim dudum confeſſa ſunt omnibus. Percurre Varronem de ling. Lat. lib. 6. Gellium Noct. Attic. lib. 5. cap. 12. Valerium Maximum lib. 10. Marium Victorinum lib. 1. Ioſephum Scaligerum in Varronem, & alios. Quid tum? An ideo Feſulani improba ſcriptio, recta, & quam nec ſequiora ſecula vſurpaſſent, barbaries, peruerſaque verborum tractatio, propter immutatam ſæpius Orthographiæ rationem, accommoda, puraque iudicabitur? In Chreſtomathijs hiſce colli-

gen-

gendis diuturna mora callum iam obduxi ſtomacho meo, non ita tamen, vt non nauteam bibere malim, quàm eas audire, à quibus tamquam ab angue abhorreo. Verborum enim illa portenta, an monſtra ſunt? *Scarith, Caris, Mor, Turg, Aſgaria, Vlerda, Dorchetes, Lartes, Saph, Roith, Ochincres, Brocon, Spugi, Barconictus, Ancironæ, Schilia, Cronuathia, Scheſia, Procrauia, Ocalia, Dantelia, Bentia, Porachal, Balth, Rebalth, Rurorebalth, Voſgaria, Onebræ, Enebræ, Murnes.*

XV. Quid hìc referam ſententiolas argutas, & Apennina glacie frigidiores, necnon à grauitate Romana diſiunctiſſimas? Pag. 1. *Nam temeritas non eſt prudentia*. Pag. 19. *Omnia tranſeunt, omnia pereunt, ſola virtus manet*. Pag. 51. *Nil prodeſt tardum auxilium*. Pag. 272. *Ghartam non poſſum habere obſidione premente*. Pag. 234. *Aegritudines cordis, aut ſunt malegiæ, aut purgeniæ*. Pag. 106. *Mutius ex caſtro Scornelli, quod eſt oculus dexter Vulterranorum, ſicuti alter oculus eſt Caſtrum Vultrai*. & alia.

XVI. Et ridiculè nimis diceretur, Etruſcos eo tempore non alia ratione locutos. immò etiam ſimilia data opera procuraſſe, Romanis infenſos. Romanorum odia non id efficere potuerunt, vt Etruſci eſſe, & haberi barbari apud exteras nationes elegerint. Nemo ſibi ob inimicorum odia ignominiam comparat. Immò, Romanis inuitis, ipſi, vt gloriam ſibi, illis dedecus conciliarent, ſumma ope eloquentiam procuraſſent. Sed demus tempora Proſperi adeò infelicia fuiſſe, vt propter Romanorum odium dictionem peruerterint, (ſtultam ſanè rem) veluti qui ſeruus ad Domini damnum oculum ſibi effoderat; ideò ne & Proſpero multis annis antiquiores eiſdem intemperijs actos dicemus? O Anticyram! ò Elleborum!

XVII. Res etiam ipſæ, & ritus, nouitatem ſapiunt, nihilq; antiquum præſeferunt. Luſor vt noua nobis proponat, aliquid ſæpè de ſuo addit, vel detrahit; & oculatus Lector inuertentem deprehendit, & nugas ridet. Et vt etiam ipſe rideas, lib. 3. vbi Leges, & Etruſcorum ſtatuta digerun-

runtur, id ita eſſe demonſtrari poteſt. Ne ſingula referam, quæ ex religione Chriſtiana, vel ex Iudæorum lege paucis immutatis in lutum, ac cœnum Etruriæ, ac perditæ religionis delata ſunt. Pag. 175. Vetatur Pontifici, & alijs, ne templum ingrediantur, *niſi prius aqua Roith loti fuerint*. Pag. 176. *In nullo alio loco, quàm Vulterra maximo Eſari templum dicabitur. Si verbum aliquod in Penates contumelioſus protulerit, lingua ſacrilega ei amputetur. Singulis annis ſupra mortuorum ſepulcra ſolemnes Ochincres celebrentur. Non dedicentur templa, aut altaria, niſi Senatus, Lucumon, & Pontifices aſſentiantur.* Pag. 178. *Qui dies feſtos non obſeruauerit, aut ciuis, aut peregrinus, è ciuitate eÿciatur. Qui nouos ritus attulerit, vel de noſtris Dÿs aliquid indecens locutus fuerit, capite damnetur. Nemo eodem tempore duas vxores habere poſſit, alioquin vt adulterus puniatur.* Pag. 181. *Vulterra in hoc tantum Concilio non ſubÿciatur, eo quod ſit aliarum mater, & caput: ſed ſententiæ, & iudicia Vulterrani Lucumonis ab omnibus obſeruentur.*

Sub-

XVIII. Subſcriptiones item, quibus vbique Lectorem occupat, & tantopere ſimiolus iſte inſoleſcit, recentioris moris ſunt. Neque enim in tota antiquitate ſimiles inuenies. Sanè è penù Notariorum, & ſtylo ſequioris ſæculi eas promanaſſe, nemo, dummodo ſapiat, inficiabitur: quemadmodum, & reliquas notariorum formulas ad faſtidium vſque exaggeratas. Tene riſum, ſi potes. *Ego Oſnus Paccius maximus Pontifex ſubſignaui.* Pag. 212. Pag. 214. *Ego Aſcus Cronius primus Sares, vt ſupra ſcripſi.* Pag. 216. *Magiſter Equitum concedit ipſi Proſpero, vt præſtito prius iuramento coram ſenatoribus prima die ſecundi menſis ſuſcipiat cuſtodiam ſupradictæ Arcis.* Pag. 164. *Ego Sagus Thuiſco Armenus affirmo hac ſupra ab Aruno ſcripta nihil ab eis, quæ Dodaimus ſcripſit differre.* Pag. 165. *Ego, &c. his omnibus præſens fui.* Pag. 166. *Quæ cum exemplari Ethruſco, & Hebraico collata conuenire affirmamus.* & alia, ne omnia exſcribam. Et vt euidentiùs rei nouitas inſpiciatur, Subſcriptiones illas primis nominum, & cognominum literis

con-

contemplare. Pag.251. *C.O.V.P.M.* loco illius, *Caius Orbianus Vulterranus Pontifex Maximus.* Pag.265. *P. F.A.S.A.C.* Pag.48. & 272. *P.F.A.* quem ſubſcribendi morem eſſe antiquum nemo hercule dicet. Et quando iam de Subſcriptionibus ſermo eſt, vide hominis procaciſſimi ingenium; cùm in marmoribus, alijsque priſci æui reliquijs Græcis, Luſor animaduertiſſet, eſſe literas quaſdam, quæ à forma *Quadratæ* dici poſſunt, cum literæ, quæ circulari figura nunc ſcribuntur ibidem quadratæ conſpiciantur, ipſe ne alijs minor haberetur, & antiquitatem etiam hoc argumento diuenderet, Pag.212. introducit Oſnum Paccium Pontificem Maximum ſubſcribentem ſe literis Latinis quadratis, non capitalibus, in quibus id commodiùs, aut minùs abſonè fieri potuiſſet, ſed minuſculis, & quibus nos ſcribimus. Quæ cùm formam illam non paterentur, monſtra, non literæ in Inſcriptione illa nata ſunt. Ite nunc vos antiquæ eruditionis lumina, & hiſce formulis, veſtris neglectis chartas implete. O ſcribam ſacri Collegij planè puerum!

rum! ò ſcurram inficetum!

XIX. Adde Oppidorum nomina recentia, quæ hìc tanquam antiquiſſima memorantur; & ne minutiora perquiramus, primam, quæ ſeſe offert pag. 15. Senarum ædificationem examinemus. Eam Vrbem ait ortum habuiſſe à ſex pagis in finibus ſex Tuſcarum Ciuitatum poſitis, hoc eſt, Vulterranenſium, Arretinorum, Cluſinorum, Ruſſellanorum, Feſulenſium, Populonienſium: & Senam dictam, eo quod à ſex pagis, & à ſex dominis condita ſit. Quæ ſanè vaniſſima ſunt, & præter hiſtoriæ fidem. Senarum quippe originem multò recentiorem eſſe tradunt, non exteri tantùm, ſed Senenſes ipſi Hiſtorici. Neque ideò probo Blondi Flauij ſententiam, qua Ciuitas hæc nouiſſima, tanquam quæ nulla in Veterum monumentis reperiatur, affirmatur; eamque Carolum, cui cognomen à malleo fuit, condidiſſe: traditq; ſe Venetijs apud S. Georgij de Alga celebre Monaſterium in libro peruetuſto legiſſe, Ioannem Romanum Pontificem, nominis ordine duodeuiceſimum acceptis de Peruſina, Cluſienſi,

Arre-

Arretina, Feſulana, Florentina, & Volaterrana Diœceſibus ſex Plebatibus, Ciuitatem hanc ædificaſſe, quæ ab ipſo ſex Plebatuum numero Sena fuerit appellata: (Annon ex his vides vnde ſua partim ſurripuit Feſulanus?) Nam Blondi dictum, & rationibus, & antiquorum, qui illius meminerunt, teſtimonijs acutè refellunt, Volaterranus, Leander Albertus, Bartholomæus Benuoglientius, & alij. Neque etiam placet eorum opinio, qui antiquiſſimam illius memoriam non vltra Iulium extendunt. Pari itaque ratione, & recentiſſima iſta, & antiquiſſima illa Feſulani reijcienda ſunt; nobiſque ad magis certas illius origines, vt ſic Feſulani nugamenta explodantur, recurrendum eſt. Ea enim, quod Scriptorum plurimi tradunt, à Gallis Senonibus ſub Duce Brenno condita fuit, & nominata: deinceps calamitatibus, quibus Vrbes exhauriuntur, afflicta, & penè deleta, in Coloniam à Romanis deducitur. Hoc ego, ſemper illius Vrbis admirator, veroſimilius iudico; certùmque, ne à ſcripturis Feſulani diſcedam, pag. 276. *Galli Senam, &*

*Sar-*

*Sarſiaſam ædificant.* Pag.279. *Senæ Gallorum Colonia Romanorum conſtituitur.* Quomodò ergo, quæ à Gallis Senonibus ædificata eſt, tandiu ante, cùm nondum erat, Senæ nomen à ſex pagis, vel ſex Dominis habere potuit? Quòd ſi eorum opinionem ſequi volumus, qui eam Iuliam, ſiue a Iulio; ſiue ab Octauio dictam tradunt, quomodo potuit à Feſulano, quæ poſt Feſulanum condita eſt, commemorari?

XX. Quid de Farneta, quid de Pomarancio dicerem? Moue ociùs te Vultraium, Vulterranorum ocelle. concede ad dexteram tu Scornellum, oculus dexter. quò hinc vos agitis? paulisper pedem ſiſtite. Vah, quàm malum vos nunc tam duro eſſe animo! cæcæ vos Vulterræ veſtræ, quæ numquam oculis ſuis quidquam vidit, misereat tandem aliquando. Nolo tamen propter vnius nebulonis affanias Oppidorum, ac Ciuitatum antiquitates, quas illis nemo inuidet, in ius vocare; & quæ propter Italiæ noſtræ dignitatem digna ſunt, quæ ſilentio tegantur, palam omnibus edicere. dignus certè eſt Feſulanus, in quem

Vrbes

Vrbes omnes, & Oppida iram, dentemque exacuant,cum eas deliris ſuis figmentis de dignitate, locoque, quem ſibi temporis beneficio vindicant, deturbat. Dum enim falſa appingit, vera, quæ ipſæ poſſident, in controuerſiam vocat.

XXI. Adde tandem, Familiarum cognomina, & quod potiſſimum eſt, Ciuitatum Inſignia, vel ex cerebro Luſoris confićta; vel ea ipſa eſſe, quæ in hunc diem apud populares in vſu ſunt. & ſuppono iam apud eruditos Viros maximam eſſe inter Signa, ſiue Inſignia, quas vulgò *Impreſias* dicimus, & Signa, quæ *Arma*, differentiam; quam doctiſſimi viri commentarijs editis, eluendo dubia, & difficultates, conſtituunt. ſi libet, percurrere poteris, Herculem Taſſum, Pompeium Rochium, Petrum Gritium, & reconditæ doctrinæ, ac diſciplinarum peritiſſimum Ioannem Baptiſtam Perſonam, qui in iſta alea, non ſine laude,deſudarunt. Signa verò tot Vrbium à Feſulano malitiosè propoſita, non alia eſſe, quàm *Arma*, fundus ipſe, ſicuti forma ſcuti, & modus res in ea apponendi dilucidè ſatis de-

mon-

monſtrant. Sed quamnam nobis tunc antiquitatem hæc Signa prætendunt? ſententiæ diſſident. ſunt qui nullam redolere antiquitatem exiſtimant. Ante alios Budæus, Romanos, dicit, Inſignium vice, Imaginibus fuiſſe vſos; nos loco Imaginum ad oſtentandam nobilitatem Inſignia geſtare. Imagines ex Polybio lib. 6. hominum nempe illuſtrium effigies, coloribus depictas, in celebriore domus parte affigi, quæ nonniſi à nobilibus viris vſurpabantur: De armis neque in antiquis ædificijs, neque in veteribus numiſmatis vllum apparere veſtigium, quæ ſi Romanorum tempore cognita eſſent, profectò alicubi aut affixa, aut depicta conſpicerentur: Romanis, qui Imaginibus, tanquam nobilitatis nota vterentur, ſuperflua arma fuiſſent. Ij etiam, qui de Nobilitate ſcripſerunt, nullam armorum fecerunt mentionem; & concluditur, longè poſt Reipublicæ Romanæ excidium huiuſmodi Inſignia originem habuiſſe. Alij, cùm apud Virgilium legiſſent, *Clypeoq; inſigne paternum; Parmaq; inglorius alba*: Plutarchum de Alcibiade, *in clypeo nullum inſi-*

*gne*

*gne Patrum geſtaſſe*: Plinium, *Scutis, quibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines*; vſum armorum antiquiſſimum opinantur. Alij, ne præter inſtitutum meum in re clariſſima nimius ſim, Regibus Ægyptijs, illisque vetuſtiſſimis, vt ſe inter pugnandum ab alijs: Alij Hiſpanis ſub Iuliani Deſertoris imperio, cùm ea regio Maurorum prælijs exardeſceret, vt nobiles ſe ab alijs diſtinguerent: Alij Hunnis ad pompam, faſtumque, cùm Italiam inuaderent: Alij Arturo, Britanniæ Regi, cùm militaris illa nobilium virorum diſciplina vigeret: Alij Carolo Magno: Alij Federico Barbaroſſæ, inuentum acceptum referunt. Alij denique Ægyptios, non armorum, ſed inſignium, & figurarum, quæ poſtea arma condecorarunt; Hiſpanos armorum ſimplicium, & colorum; Hunnos figurarum, coloris, ſiue rebus proprij, ſiue aliunde ex arbitrio quæſiti, rebus tamen ipſis, quas pingebant, alieni, inuentores fuiſſe tradunt; Anglos corporis, areæque ſcuti colores determinaſſe, quos poſtea Galli propagarunt, & militiæ gloria per totum terrarum

orbem

orbem diſſeminarunt; Federicum, vt iura eorum in hæredes, ac ſucceſſores deſcenderent, ſtatuiſſe.

XXII. Sed quidquid ſit in tanta ſententiarum varietate, illud certum eſt, eos, qui Armorum vſum antiquiſſimum faciunt, & ad Troiana tempora vſque amandant, Inſignia cum Armis graui lapſu confundere. Quamuis enim veriſimile ſit, quampluri-mos, ad aliquid, quod animo conceperant, oſtendendum, figuris, aut imaginibus vſos fuiſſe, non id tamen euincitur, ea tum, quæ nos dicimus Arma, & ab Inſignibus, quibus Ciuitates antiquitus etiam non caruerunt, varia ratione ſeiungimus, fuiſſe, quæ recentiſſima ſunt, & multum poſt Feſulani tempora vſurpata. Quomodo itaque anno Vulterrano 1734. ante Syllana tempora 1602. qui fuit mundi 2878. Signis Ciuitates in vniuerſum vti, & ſtatuta ſubſignare potuerunt?

XXIII. An Inſignibus etiam in annulis, vel alijs in rebus, vti nos ſueuimus, ſagaces illi homines vtebantur? Eloquere Feſulane, ſi non erubeſcis. Vtinam tandem erubeſceres,

tui-

tuique temet pœniteret. Non dubito quempiam pro Feſulano multa collecturum, quæ apud veteres Auctores ſparſim inſeruntur; in ſignandis nempe rebus, ſigillis vſos. Io Inachi filia pro inſigni habuit Vaccam. Stephanus. Hinc fabularum deliria eam in Vaccam deformarunt. Auguſtus apud Suetonium in Diplomatibus, libellisque, & epiſtolis ſignandis initio Sphinge vſus eſt; mox imagine magni Alexandri: nouiſſimè ſua, Dioſcoridis manu ſculpta; qua ſignare conſequuti quoque Principes perſeuerarunt: apud Ciceronem in Catilinam, Lentulus ſigillum habuit, in quo erat inſculpta imago Aui ſui: apud Plinium lib. 37. cap. 1. Plutarchum in vita Syllæ, Valerium Maximum lib. 8. cap. 15. Sylla Dictator ſigillum, in quo Imago Iugurthæ vincti. Mæcenas præterea, referente Plinio, Ranam in ſigno habuit: Pompeius Magnus Leonem Enſiferum inſculptum in gemma, vt ſcribit Plutarchus: Galba, ex Dione, ſignatorium habuit annulum maioribus ſuis familiarem, cuius erat ſculptura Canis è prora ſe proclinans. In Seleuci annulo An-

chora

chora effiċta viſebatur, cuius imago in femore paſtoris familiæ natiua apparuit. Tradit Ioſephus Antiq. Iudaic.lib.12.cap.5. Darium Aquilæ ſigillo draconem vnguibus tenentis vſum fuiſſe; Macrianorum familia Alexandri Magni; Reges Perſarum Cyri, aliquando Darij; Epicuro addiċti, Epicuri imagines in annulis habebant. Plinius Iunior Quadrigam ſe in ſignum adhibuiſſe ſæpius memorat. Illa etiam antiquiora, Dauid, vt Gregorius Tholoſanus ſcribit,lib.6. de Republica, cap.16. Leonem in annulo inſculptum geſtauit, quem poſteà Reges Iudæ ſecuti ſunt. De Annulo ſignatorio Ioſephi, vide Gretſerum de Cruce tom.1.lib.4.cap.8. Seruianorum, Dardanorumque Regum Inſigne olim fuiſſe caput Apri, ſagittam mordicus tenentis, Stephanus Zamoſius refert in Analeċtis Lapidum Vetuſtorum. Et quàmplurima alia.

XXIV. Sed quid hæc ad rem? Imagines illæ in annulis, vel ſigillis exſculptæ, non erant Arma, neque Arma à parentibus accepta, quæ poſtea ſucceſſoribus, hæredibusque tradun-

duntur, ſed ex arbitrio vtentis ad varias animi ſententias exprimendas, tantummodò pro eo tempore ſigna vſurpata: idque ex ijſdem Hiſtoricis, qui ſimilia referunt, ne deſipere velimus, colligi manifeſtò poteſt. Et Georgius Longus, Libello ſatis erudito de Annulis ſignatorijs, ex Plinio, Macrobio, Meurſio, alijsque colligit, in annulis Antiquorum primùm nudas literarum notas, mox in vſu ſculpturam fuiſſe in ipſa materia, non in gemmis; ſed luxu ſuccreſcente, obſoletis literis, Gemmas ſculpturam paſſas eſſe: primùmque ſuperiorem Africanum in Sardonyche auro incluſa, quòd ſola gemmarum ceram non auferret, ſtylum exacuiſſe tradit; licet hac noſtra ætate & Achates, & Onyx, & Sarda, & Adamas, in quo primus Iacobus Treccia, ſi non fallit Antonius Gueuara, gentilitia ſtemmata Philippi Hiſpaniarum Regis inſculpſit, incidantur. Vidit etiam Claudius Minois de Symbolis, qui ait, pro maiorum imaginibus poſteriora ſecula habuiſſe ſua illa, quæ *Arma* vocitantu, rideſt Inſignia gentilitia: *quæ vt ad honorem, & gloriam*



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

*veteribus vſurpata ſunt, ſic certè vti credibile eſt, fuere poſtea virtuti præmia, & rerum præclarè geſtarum aperta teſtimonia.* Plura antiquorum Inſignia recenſet, iconibusque exprimit è penu antiquitatis eruta Silueſter Petraſancta in laborioſiſſimo Opere de Teſſeris Gentilitijs, cap. 3.

XXV. Illud etiam obſerua, vſum eiuſdem ſigilli per tot ſecula in ijſdem Ciuitatibus continuatum, niſi vbi Luſor ea vel omninò, vel parte in aliqua, ne tam apertè nugas agere videretur, immutauit. Ideò hîc habemus Equum Arretinorum, Gryphem Peruſinorum, Dimidiam Lunam Feſulanorum, Vulterranam Aquilam, Serpentes Mediolani, aliaque quamplurima: quorum tamen maiorem partem heri, aut nudiuſtertius, vt ita dicam, ſcimus in vſum hominum irrepſiſſe. Ne ſingula examinem; de origine ſigni Mediolanenſis Serpentis tortuoſi, ac puerum euomentis, ab Othone Vicecomite, Duce Sarracenorum extincto, erepti, quidquid alij dicant, videatur Carolus Sigonius lib. 9. de Regno Italiæ, Alciatus de ſingulari certamine cap. 43. Iouius de Prin-

Principibus Mediolanenſibus, Torquatus Taſſus Hieroſolymeidos cantu primo. Otho enim primus in ea familia, ſerpentem, dum vixit, ſibi adſciuit, & poſteris inſigne laudis gentilitiæ prodidit, *Ea re poſt domi comperta*, ſunt verba Sigonij, *Mediolanenſes publico Decreto ſanxerunt, vt ad perennem clariſſimi Viri memoriam, ne poſthac caſtra Mediolanenſis exercitus locarentur, niſi ſigno vipereo ante in aliqua arbore conſtituto.* Neque à noſtra ſententia alienum iudicamus, ſi cùm Franciſco Petrarcha ſtemmatis huiuſce exordium ad alium referamus: Libro enim 4. Rerum memorabilium ſcribit: *Azo Vicecomes, qui deinde Mediolani principatum obtinuit, magni animi iuuenis, patris iuſſu cum copijs tranſmiſit Apenninum. In ea expeditione cùm fortè, deſcendens equo, requieſcit, ingens vipera, nullo aduertente comite, in galeam Principis iuxta poſitam irrepſit: quam cum mox capiti reponeret, famoſo quidem, & horrifico, ſed prorſus innocuo lapſu per genas Ducis interriti fluxit. Eam à nemine lædi paſſus adoleſcens ille animoſus,*

*moſus, ad omen geminæ victoriæ traxit. Hincque factum tandem, vt ipſe pro ſigno bellico vipera vteretur.* Idque dum Bononiæ Petrarcha ipſe adoleſcens ſtudijs operam daret, ſe ſæpè audiuiſſe tradit. Idem penè Gabrielem Simeonem Italum, eo compendio, quod lingua patria edidit, de Ducibus Mediolanen. retuliſſe fatetur Claudius Minois in Alciati Embl. 1.

XXVI. Et ſi libet ad antiquiſſima cum Pontio Virunio referre, non vltra Theodoſium Imperatorem antiquitas extenderetur. Is enim ad Antonium Vicecomitem Epiſtola, Grammaticæ Græcæ præfixa, Draconis παιδοϐόρου imaginem Stilichoni refert acceptam; *Vt poſt imagines antiquæ proſapiæ, quæ à Stilichone cum Dracone infantem deuorante in Vice-Comites ſui ſuperſit initium; vnde Claudianus;*

*Ignaraque Virgo,*
*Cui ſimplex calet ore pudor, per ſingula cernens,*
*Nutricem conſultat anum, quid fixa Draconum*
*Ora velint, ventis fluitent, an vera minentur*

*Sibi-*

*Sibila, ſuſpenſum rapturi faucibus hoſtem.*

*Et in Commentarijs noſtris ibi multa diximus. Et poſt corporis bona, atque fortunæ, ſola virtute maiorum tuorum contendis.*

Et vt propiùs rem ipſam tangam, quis Aquilam Vulterranorum Inſignibus in tanta antiquitate non miratur, ſine ratione appoſitam? Nemo ante Guelfos, & Gibellinos, Aquilam in Inſignibus ſibi adſciuit; cùm ea primùm illæ factiones, quam in partem propenderent, indicarent; nam qui Imperatorem ſequebantur, Imperatoriam Aquilam Inſignibus addiderunt. Quare & Volaterrani Imperio addictiſſimi, Inſignia ſibi Imperij vindicarunt. Niſi etiam id affirmare velimus, tunc Volaterras Aquilam Inſignibus appinxiſſe, cùm Philippus Ciuitatis Epiſcopus à Carolo Imperatore Anno 1355. Vicarius Imperij per totam Tuſciam declaratur. Tunc enim, ſimul cum auctoritate, Imperij quoque Inſignia induiſſe, nec immeritò, videtur.

XXVII. Inſignia itaque Ciuitatum,

tum, quæ hic comminiſcitur Feſulanus, nulla tunc temporis fuere; quòd ſi etiam fuiſſent, non ita facilè credi par eſt, mutata toties Reipublicæ forma, nominibus etiam vnà cum ipſis Vrbibus obliteratis, Inſignium in tanta antiquitate incorruptam fidem perduraſſe. Pudet dicere, ſed tamen dicam. quotieſcumque Volaterranenſium Magiſtratuum Inſignia proſpicio, & literas ibi aggeſtas attentè conſidero, iuramento contenderem, Luſorem hunc Feſulanum mercaturæ, aut Notarij exercitationi operam dediſſe, & ex illo penu hæc tam pulchra, auguſtaque Etruſcarum Antiquitatum fragmenta hauſiſſe.

XXVIII. Scripturæ item ratio, quæ in hiſce chartulis conſpicitur, ſi cætera deerint, fraudem euidenter aperit. Nullus enim, qui vel ſummis labris antiquitatem deguſtauerit, affirmabit, Syllanis, vel etiam ſuperioribus temporibus, characteres, quibus nunc vtimur, & quos propter velocitatem, currentemque calamum in illis expediendis, *Curſiuos* appellamus, in vſu fuiſſe; quod Inſcriptionibus, & Nummis antiquiſſimis, quo-

rum

rum non pauci præ manibus omnium teruntur, manifeſtum fit. Et ſtultum eſſet dicere, eam ætatem alios in exſcribendis Libris, alios in Inſcriptionibus, & Nummis vſurpaſſe; cùm manifeſtè videamus, deſipiente ſeculo, characterum omne genus, & potiſſimùm, qui præ manibus erant in Inſcriptionibus, & Nummis introductum. Arduum eſt, cum in Archiuo Feſulano tot *chartæ chartanicæ* ſimilibus characteribus inquinarentur, in tota reliqua antiquitate nullum eiuſmodi rerum apparere veſtigium.

XXIX. Vide etiam Pancirolum Rerum memorabilium lib.1.Tit. 44. Non me latet nonnullos, & inter eos Cæſarem Dominicum Romanum, de Orthographia, Tract.2.cap.2. impensè illud inſinuaſſe, aliosque etiam demonſtrare conatos, Veteres Romanos alias in Inſcriptionibus, ad rerum magnificentiam, atque ſplendorem, alias dum priuatim ſcriberent, vt celeriùs rem expedirent, literas vſurpaſſe: Neque eorum ſententiæ Marmora, Inſcriptionesque antiquas contrafacere. Tum enim & ipſos vſurpaſſe, quemadmodum & nunc

nos vtimur pro libitu ſcribentium, & rei opportunitate, quandoque etiam in eadem ſcriptura. modò Capitalibus, modò Minutis, non tamen quadratis, ſed quas *Curſiuas*, aut *Cancellareſcas* vocamus: Capitalibus etiam plerumque minutiores propter loci anguſtiam adhibuiſſe, non tamen quæ ab artificio illo caderent. Neque probabile videri, antiquos, & ingenio, & iudicio non minùs recentioribus præditos, commodiorem hanc, & velociorem ſcribendi formam non exercuiſſe: & Libros, quos proferunt, Capitalibus ſcriptos, nihil euincere. Illi nanque ad magnificentiam, & faſtum ſcripti, non alijs potuerunt, nec debuerunt, quàm magnificentioribus characteribus ſcribi: Autographum tamen non fuiſſe ijſdem exſcriptum. Quod ſi quis vnum, aut alterum protendat ita exaratum, aiunt ſe multò plures, alia, atque alia forma litterarum ſcriptos, poſſe producere. Hæc ſententia confirmari quoque poterit verbis Petronij Arbitri in Satyrico: *Ad ſiniſtram intrantibus non longè ab hoſtiarij cella Canis ingens catena vinctus in pariete*

*erat*

*erat pictus, ſuperque quadrata litera ſcriptum; Caue caue Canem*. Si eo tempore nullæ aliæ erant literæ, præter quas vocamus Capitales, & Quadratas, non videbatur operæ Petronium, adiuncta voce illa, Literas quadratas in pariete ab alijs ſeiunxiſſe. Georgius Erhardus in locum dictum Petronij notat, Petronij, & ante illum temporibus, inuentas fuiſſe alias literarum formas, teſte Quintiliano lib.1. cap.7. inter quem, & Petronium non adeò multum æui interfuit, vt non earundem literarum, formis vti potuerint; quæ formæ erant quadratæ.

XXX. Pontius Virunius, Præfat. in Erotem. Guarini; licet videatur dubitare, An Maro, Ouidius, vel Cicero Maiuſculis, vel Minuſculis, vt nunc facimus, vterentur; eam tamen amplectitur ſententiam, eos aliter, ac nos ſolemus, ſcripſiſſe. Probatque ex Autographo Ruffini, quod tunc in Fano D. Ambroſij Mediolani extabat, peiori quadam ratione, & ipſis Longobardorum characteribus antiquis inconcinniùs conſcripto, vt ipſe illarum formarum non ignarus

multas paginas volverit, antequam aliquid cognoſceret; nec minùs id colligit è Tabulis publicis Rauennæ, ſub Adriano Auguſto, in papyro, quæ haud intelligibiles erant, deſcriptis. Et poſt nonnullorum Codicum antiquorum enumerationem concludit; *Cum autem nuſquam in marmoribus antiquis, niſi Maiuſculæ reperiantur, erant tamen certò & aliæ formæ literarum; ita vt ſi manus Maronis, Ciceronis, & Ouidij, & illorum temporum nūc eſſent, non cognoſcerentur, & ſi inter viuos reuerterentur illi beati manes, literas iſtas non cognoſcerent, quātumuis venuſtas, & nec nos illorum.* Quas in his Antiquitatibus Feſulanus, & multò ante Feſulanum alij literas deſcripſerunt, eodem, ac noſtras, negotio legimus, & noſtras ille, abſque vlla difficultate, quando eædem atq; illæ ſunt, intelligeret. Parùm itaque referret ex ſententia Virunij, ſi alijs à Capitalibus antiqui illi literis ſcriberent, dummodò illæ à nobis neque intelligi, neq; percipi, quemadmodum & noſtræ ab illis, poſſent. Et concluditur omninò alias à Feſulanicis hiſce formis literarum in vſu

fuiſſe:

fuiſſe: & fucum nobis facere Feſulanum, qui literis eiuſmodi tantam antiquitatem vindicare ſibi conatur...

XXXI. Ioſephus Antonius Gonzales, in eundem locum Petronij, An literæ Plauti *longæ* eædem eſſent, quæ Petronij *quadratæ* dubitat: dein, vt ipſe ait, per ſomnum cogitabat, an hacce, vel ſimili forma quadratæ illæ figurarentur, CAUE CAUE CANEM, quemadmodum in Nummis antiquis literæ illæ ſpectantur. Sedenim cùm literas Minuſculas, quibus hodie vtimur; & olim in vſu fuiſſe certum ſit, haud ineptè Petronium, vt Maiuſculas, aut Capitales denotaret, addidiſſe, quadrata litera titulum fuiſſe ſcriptum. Et literarum Minuſcularum, inquit, fidem faciunt veteres Inſcriptiones, quarum copia apud Gruterum non minima; obſeruauitque Scaliger cap. 19. ſuorum ad ipſas Indicum: & præter aſſignatas à Scaligero, alias quoque idipſum adſtruentes reperiri, quod ille priùs non animaduerterat, quando apud Vouerium ſuadebat, Quadratas literas omninò quærendas. Inſcriptionum ve-

rò, quas notat Scaliger, pro minuſculis literis aſſerendis, prima eſt Diuionenſis pag.185. 3. ex Ioanne Riccardo; ſecunda pag.652.2. ex Scaligero; tertia Romana pag. 882. 7. ex Smetio.

XXXII. Quidquid tamen ſit, Capi tales, non Minutas haſce noſtras fuiſſe apud Antiquos, & Syllanis potiſſimùm temporibus, manifeſtiſſimè docet Plinius lib.7. cap.58. *Veteres Græcas, fuiſſe eaſdem penè, quæ nunc ſunt Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ eſt hodiè in Palatio, dono Principum Mineruæ dicata in Bibliotheca, cum Inſcriptione tali:*

ΝΑΤΣΙΚΡΑΤΗΣ ΤΙΣΑΜΕΝΟΤ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΚΟΡΑΙ ΚΑΙ ΑΘΗ-
ΝΑΙ ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Approbat Tacitus Annalium lib.11. *Formæ literis Latinis, quæ Veterrimis Græcorum.* An hæſitandum igitur fuerit, literas eas fuiſſe Capitales, cum ſimiles Græcis haud eſſe poſſent, niſi Capitales eſſent? Firmant dictum Iuſtus Lipſius, De pronunt. Ling. Lat. cap. 8. de *I*, ſermonem habens; *Quæ ſola inter grandes, & Romanas*

*manas illas literas, nam hæ minutæ ignotæ olim, ſuper cæteras eminuit, & forma ipſa penſilem prætulit, & porrectam*. Famianus Strada Prolus. Academic. Plaut. 2. *Primos acriter inſectatur Iuſtus Lipſius tamquam oblitos Romanorum moris, apud quos olim Minuſculæ, quibus nos vtimur, vſurpatæ non fuere notæ. Sed immeritò eos carpit, mea quidem ſententia, neque enim ignorauerunt illi, vnum Quiritibus fuiſſe ſcribendi genus: ſed cum ſcirent illud potuiſſe aut produci grandibus, & maximis literis, vt ait Cicero, & cubitum longis, vt ludit Plautus, aut minutis litterulis, vt loquitur idem Tullius; exiſtimarunt Plautinum iocum ad aliquam ex litteris cubitalibus eſſe referendum*. Vide etiam, ſi placet, Iuſtum Reinhartum Robbigium, De rebus Criticis lib. 1. cap. 2. Dixit verò Plinius *Penè*: Quædam enim ex Latinis, diuerſis effictæ figuris, cum Græcarum figura non conſonant: vel diſparitas illa, & diſcrimen non ea ſunt, quæ illas omnino diuerſas efficiant, & Latinis oculis peregrinas. Sententiæ meæ calculum addit Priſcianus lib. 1.

*Apud*

*Apud Antiquiſſimos Græcorum non plus, quàm ſedecim erant literæ, quibus ab illis acceptis Latini, antiquitatem ſeruauerunt perpetuam. Nam ſi veriſſimè velimus inſpicere eas, hoc eſt ſedecim, non plus quàm duas additas in Latino inueniemus ſermone.* Si literulis noſtris ſcriptitaſſent, antiquitatem illam, quam perpetuam vult Priſcianus, violaſſent. Et deſiperet omninò, qui Priſcianum de Vncialibus, & quibus ad magnificentiam vtebantur, non ad vſum communem, literis intelligerent. Grammaticum, non Architectum agebat Priſcianus, & pueros in ſcholis ingenuos ſonum, & formam, non in impluuijs ex fæce iuuenes ſcalpentes erudiebat.

XXXIII. Michael Thomaſius, Epiſt. ad Antonium Perenotum Cardinalem, Lactantio Firmiano præfixa; tradit, exemplar Lactantij, quod in Bibliotheca S. Saluatoris Bononiæ viderat, literis Maiuſculis (vt vocant) ante octingentos, aut etiam mille annos exaratum; *Illarum enim literarum, quas Maiuſculas vocamus, Libri, ſicut ex collatione multorum Codicum comperimus, ante Gothorum*

*in*

*in Italiam irruptionem, fuerunt ſcripti*. Vides, *multorum etiam Codicum collatione*, quos vtinam nobis manifeſtaſſet Thomaſius, comperiſſe ante Gothorum in Italiam aduentum, literis Capitalibus Libros ſcribi ſolitos fuiſſe? De eo Codice cùm conſuluiſſem Virum, quem nunc ob linguarum peritiam, ac diſciplinarum, ad excolenda humanioribus ſtudijs ingenia, Illuſtriſſimus Bononienſis Senatus, ad ſe honorificentiſſimè aduocauit, Ioannem Argolum, An adhuc in ea Bibliotheca extaret, inter cætera, hæc quoque reſpondit; *Lactantium præterea Firmianum inſpexi, Capitalibus, quibus aureo illo eloquentiæ tempore ſcriptitare vnà omnes ſueuerant, ſcriptum, capite tamen ipſo mutilum, toto enim primo titulo, ac principio ſecundi mancus eſt. Cæterùm non ſcriptione modò, ſed Orthographia antiquitatem præſefert Codex boni, & abſolutiſſimi commatis. Sæpiſſimè enim*, intellego, intellegit, *prout in vſu nunc eſt*, intelligo, & intelligit, *habet; quem ſcribendi ritum Politianus in antiquis Codicibus ſe obſeruaſſe fatetur*. Et ſanè gran-

grandiores, ſeu Capitales literæ antiquiora, & vetuſtiora prodere Volumina multi ſeuerioris literaturæ Viri adnotarunt. Nicolaus Rigaltius Obſeruat. ad Auct. finium regundorum, Siculi Flacci partem in compluſres diuiſam lacinias ait ſe ex peruetuſto Codice Ioannis Arcerij, per Ioſephum Scaligerum deſcriptam, habuiſſe: eumque Codicem grandioribus literis hoc vno cæteris præſtare. Nicolaus Faber Peireſius, immaturiùs nobis ereptus, & nobiliſſimo Academicorum Humoriſtarum Romæ, dum hæc ſcribo, funere honeſtatus, Hieronymo Aleandro ſcripſerat, Kalendarium à Salmaſio laudatum vetuſtiſſimum eſſe, mole exiguum, vnàque cum Medea Ouidij, alijsque Scriptoribus in antiquiſſimo Codice grandioribus hiſce literis deſcriptum reperiri. Literis item maioribus, & cubitalibus in Libris deſcribendis Romanos vſos eſſe, & quibus omnium vetuſtiſſima manuſcripta exarata ſunt; cùm alij calamo exarati, & qui in Bibliothecis exiſtunt, literis Longobardicis, & minoribus, vulgò ferè, hodieque vſitatis, perſcripti,
non-

nonniſi initio verſuum, vel periodorum Romanis illis grandibus præſtant; aſſerunt Godeſcalcus Steuicchius, Quæſt. in Apul. lib. 5. de Aſin. Gaſpar Scioppius de Arte Critica, & alij. Verba item M. Antonij Mureti in illa Senecæ Epiſt. 40. *Nos etiam cum ſcribimus*, &c. attentiùs conſideranda ſunt; *OMNIA ſcribebant veteres ijs literarum formis, quas hodie Maiuſculas vocamus.* Ianus Mullerus Palmerius Spicileg. ad Ioan. Fichardum, ex quo ſua deſcripſit Ioſephus Laurentius Polymathiæ lib. 1. diſſertat. 20. tradit antiquitùs Maiuſculis, quibus nunc in capitibus propriorum nominum, & verſuum initijs locus eſt, totos Libros perſcribi: & quæ de literarum forma Quintilianus, & Plinius dixerunt, niſi de Maiuſculis noſtris intelligi non poſſe. Minuſculas verò nonniſi negotioſis, & occupatis indulſiſſe Papyrianum. Sed de his Notariorum Minuſculis infra. Et licet hic rumpatur Feſulanus, illud ipſe addiderim Longobardos, ſeu Gothos, antequam ad minutas haſce, de quibus ſermo eſt, literas gradum facerent, ſiue ex prima ſui inſtitutione,

ne, ſiue etiam aliarum gentium morem ſecutos, maiores, atque à ſe inuicem diſiunctas, nec diſtinctione vlla interpellatas, in priuatis etiam ſcriptionibus vſurpaſſe; ni fallit nos, vt certè non fallit, Commentariolus in literas Gothicas, à Bonauentura Vulcanio cum rerum Gothicarum Scriptoribus editus. & eas Romanis, aut Etruſcis Syllano æuo in tanta copia, vt nunc ſit, interſtinctas tribuemus? πολλὰ μὲν ἄλλα ætas illa vidit, τοῦτο δὲ οὐδέποτε.

XXXIV. Et ne longiùs abeam, Pandectæ Florentinæ dicto fidem faciant, quas archetypas eſſe Politianus; Antonius verò Auguſtinus emendat. lib. 1. cap. 1. Franciſcus Balduinus in Prolegom. de iure Ciuili, & alij, non ita antiquas eſſe opinantur: Eæ Maioribus, Capitalibus ſcilicet characteribus, nulliſque interuallis diſtinctionum, nullis item compendiarijs nullis ſcriptæ ſunt. Et quamuis Auguſtinus aſſerat, poſt aliquot annos, quàm Iuſtinianus è vita migrauit, ab aliquo ſtudioſo menda ſublata, atque correcta ad alterius exemplum, nihilominùs ſi Politiani acerrimo

rimo

rimo iudicio ſtandum eſt, ſcribentis, *quibuſdam etiam ſaltem in præfatione, velut ab Authore planè, & à cogitante, atque generante potiùs, quàm à Librario, aut exceptore inductis, expunctis, & ſuperſcriptis cum Græca Epiſtola, Græcoque etiam hoc Epigrammate in prima fronte*; colligo ad Iuſtiniani etiam tempora non è Scriptoribus tantùm, ſed meditantibus, & generantibus, literas Capitales, non quas nunc nos frequentamus, in vſu fuiſſe. An etiam Trebonianus, vel Iuſtinianus ipſe, cum meditata chartis tradebant, ad faſtum, & munificentiam ſcribebant? tantùmq; otio abundabant, vt, quod vnius horæ curriculo exarare cum Minuſculis poterant, diei potiſſimam partem in Capitalibus hiſce effingendis conſumerent?

XXXV. Præterea tot Exſcriptorum errata, tot literarum, tot nominum in antiquorum monumentis mutationes, ſi ingenuè agimus, à nullo alio, quàm à Capitalibus hiſce corriuarunt, ob literarum ſimilitudinem, quam inter ſe Capitales, non autem Minuſculæ ſeruant. Exemplis, ſed pauciſſimis, ex aliorum animad-

uer-

uerſionibus, ne ipſe curioſius iſta perquirere áb inficeto, neſcio quo, dicar. Ioſephus Scaliger in Varronem de Re ruſtica lib.2.cap.3. Mediam, non Meliam dici propter familiarem veteribus commutationem τοῦ L in D. vt Melicæ contra Gallinæ dictæ, quæ Medicæ dici debebant. & alibi Librarios imperitos ſæpè pro I, L, & contra ſcribere. Godeſcalcus Steuicchius in lib. 1. Apuleij, ſæpè in mutuum locum immigraſſe has literas D & T: & in lib.5.cauſam deprauandi ſententiam aſſerit ſimilitudinem literarum B.& P: nam & has, vt & R, non ſemel ex affinitate commutatas ait, teſtes Quintilianum, & Plinium adducens, quorum verba, & monita de Maiuſculis, & Romanis literis accipienda, quod ijs antiquis in libris deſcribendis vſi fuiſſent. Ioannes Iſacius Pontanus, in Gloſſario Priſco-Gallico, non in diſſimili argumento B. & P mutationem, *ſolemnem metaſtaſim* vocat. Scioppius de Critica, tradit, exemplisque ex varijs Auctoribus fusè probat C in G: D in L: F in E: P in B, & R; & viceuerſa L in D: E in F: R, & B in P ob ſimilitu-

litudinem commigraſſe. Affinitas iſta atque ſimilitudo literarum, ſi Minuſculis vtaris, non erit tanta, vt exſcriptorem fallere poſſit: quid enim commune eſt *l* cum *d*: *i* cum *l*: *d* cum *t*: *b* cum *p*: *c* cum *g*: *e* cum *f*: *p* cum *b*, & *r*, ſi haſtulas, & literarum, vt ita dicam, oculos, ſine quibus formari non poſſunt, excipias? & Ianus Mullerus Palmerius Spicilegio ad Ioannem Fichardum; *id eſt cur E & F, C & G, P et R toties inuicem locum commutarunt, quod abfuiſſet, ſi Minuſculas vſurpaſſent.*

XXXVI. Formas porrò literarum, quas hic iam apud Romanos ætate Feſulani conſtituimus, antiquioribus temporibus alias, atque alias fuiſſe, cùm arbitrio hominum ſubderentur, ideòque mutationi obnoxiæ eſſent, nullus dubito: tum & poſteriora deinceps tempora aliam, atque aliam formam induxerunt, donec ad hanc noſtram ætatem, non dicam ſtetere, (qui enim res tam volubilis ſtare poteſt?) ſed peruenere. De antiquiſſimis illis locutus eſt Quintilianus, non de recentibus, & ſua ætate vſurpatis, quidquid alij dicant,

cant, en verba: *Verùm Orthographia quoque conſuetudini ſeruit, ideòque ſæpè mutata eſt. Nam illa vetuſtiſſima tranſeo tempora, quibus & pauciores literæ, nec ſimiles his noſtris, earum formæ fuerunt: & vis quoque diuerſa.* Innuitque ante Quintilianum Liuius lib. 7. *Lex vetuſta eſt priſcis literis, verbisque ſcripta, vt qui Prætor maximus ſit, Idibus Septembris clauum pangat.* Exemplis ex priſcis hiſtorijs petitis, ne ipſe in eis repetendis faſtidio ſim, abundè hoc idem confirmarunt, Priſcianus, Diomedes, Iulius Scaliger, Quintilianus, & alij. Formæ quoque mutari dicuntur, cùm à rudioribus ad elegantiores, concinnioresque gradum faciunt. Quare omninò, ſi nos tantæ antiquitatis, ac venerationis Auctores non fallunt, concludendum eſt Romanos Syllanis temporibus Literarum forma quàm ſimillima Græcorum ſcriptitaſſe, quæ nonniſi Capitalis eſſe potuit. Ea tamen vna, & eadem à quantitate, vel modulo nomen ſortita, modò *Maxima* à Cicerone, *Grandis* ab Ouidio lib. 3. Triſt. *Cubitum longa* à Plauto in Pœnulo, & Rudente; modò

dò *Minuta*, & *Minutiſſima* ab eodem Plauto in Bacchid. Cicerone apud Plinium lib. 7. cap. 21. Seneca Epiſt. 95. modò *Rotunda* ab alijs; modò *Quadrata* à Petronio dicta eſt. Hinc ad *quadratam* Petronij literam reſponſio in promptu eſt. *Quadrata* ſcilicet ea vocabatur, quæ arte, & diligentia facta, & membris ſuis commenſurata, ſiue Maxima, ſiue minuta eſſet, in Inſcriptionibus, quandoque etiam in Libris, patebat omnium oculis, ſed ob diſpendia, & impenſas non omnibus obuia. *Rotunda* autem erat, non quæ in ſphæræ modum obuolueretur, à Capitali, & Quadrata diuerſa, ſed quæ ob artis contemptum, & celeriorem ſcriptionem, quaſi in globulos, ſed non eos perfectos, curuabatur, qualis eſt hodie in antiquiſſimis Virgilij Codicibus Vaticanis 3225. 3877. & alio ſimili, quem ipſe Heidelberga cum Palatina Bibliotheca in Vaticanam aduexi; ad cuius fidem antea Virgilij Opera omnia in Bibliopolio Commeliniano anno 1603. ſed non bona fide vulgata ſunt. Necnon in antiquiori etiam, quàm ipſe Virgilianus,

3226.

3226. Terentiano Codice Vaticano, à Fuluio Vrſino eidem Bibliothecæ legato, qui anteà Petri Bembi fuerat, cui *Codex idem carior auro*, iubenti, vt poſt eius obitum remaneret in ſuis; & pro cuius antiquitate nemo mihi Angelo Politiano potior erit, qui Codici præſcripſit. ***Ego Angelus Politianus, homo vetuſtatis minimè incurioſus, nullum æquè me vidiſſe ad hanc diem Codicem antiquiorem fateor.*** Rotundior porrò Capitalis, quò minutior fuerit, eò celeriùs, commodiùsq; ſcribitur. Sed cùm literæ omnes vna ab alia ſeiungantur, nec calami tractu vniantur, nunquam eas exiſtimo ita celeriter, ac communes haſce noſtras exarari poſſe; quibus nonnulli adeò celeriter ſcribunt, vt non tantùm exæquent verba dictantis, ſed etiam præuertant. Et mirabile dictu eſt; Annis elapſis cùm ad Mineruæ Templum Diuæ Virgini ſacrum, Sacrorum Ieiuniorum tempore concionibus habendis, noſtræ ætatis in diſciplinis omnibus portentum, Nicolaus Riccardius, totius Vrbis congreſſu fortunatè admodum operam daret, duos ex eodem inſtituto,

ſtylo

ſtylo ex aurichalco producto, ne tempus in tingendis atramento calamis conſumerent, in Libro ex lapide nigro fiſſili compacto, quem nobis Andegauenſes, Rhenanique agri, montesque Ligures non tantùm ad domorum tegulas, & parietes, ſed ad tabulas etiam, & menſas prouidè, abundèque ſubminiſtrant; & ex quo ipſe Spiræ, & Chij pleraque Ædium faſtigia non ſine oblectatione vidi, quod & alij de Vuormatia, & Moguntia fatentur; flumen illud numquam ceſſantis eloquentiæ, ac prepetes ſententiarum ex Patribus congeſtarum turbines commodè excipere vidi, ſignare loca, lineas à capite ducere, quandoque etiam pauſam facere, & quodammodò reſpirare, ſine vllis notis, ſed hoc noſtro charactere, quo ſcribimus: & poſtmodum inter eos ſcriptione collata parùm, aut nullum comperiri diſcrimen. Idque non ſemel, ſed ſæpiſſimè experti, ſemper verba ipſa, & ſententias concionantis habuere. Et qui verbis meis non tribuebant, ſenſibus tandem ſuis fidem præſtiterunt. Tantam in ſcribendo celeritatem cùm Romani

ſcriptione illa ſua conſequi haud poſſent, ad notas confugerunt, quarum numerum ad quinque millia excreuiſſe, ſunt qui referant. Celeritatem ſcriptionis per notas ex Auſonio, Martiali, Boëtio, Hieronymo, & alijs examinat Hermannus Hugo De prima ſcribendi Origine cap. 18.

XXXVII. Eandem ac Latinæ Literæ Græcæ quoque ſortem nactæ ſunt. Hac ſiquidem ætate longè ab antiqua illa diuerſa, (vt hinc quoque argumenta ad refellendas Feſulanicas antiquitates deſumamus) ſcribimus magis currenti, & quæ literas ipſas vniat ad velociorem ſcriptionem, ratione; eaque tantùm ab antiquis illis deſciuit, vt ferè in aliam formam translata videatur: ideòque quò magis literæ Græcæ ad Capitales, Quadrataſque accedunt, ſi modò non ementiuntur, qui ſcribunt, eò iudicantur antiquiores. In illis etiam, quemadmodum & in Latinis erant, licet Capitales omnes eſſent, viſebantur, quædam Quadratæ artificio conſpicuæ, grandiores tamen, & minutiores; quædam non æquè Quadratæ, ſed rotundiores, & quæ velocius

ciùs expediebantur; aliæ Capitales non tamen perfectæ, neque ſtudio, ſed lineis quoquo modo conſiſtentibus exaratæ. Quadratæ in Inſcriptionibus publicis habentur; rotundiores plures Vaticanæ Bibliothecæ Libri antiquiſſimi ſuppeditant; poſtremas accuratè nobis repræſentauit Tàbula Marmorea, in qua ab Amphitryone Apollini Tripus conſecratur, varijs figuris, icunculisque exſculptis, exornata: in extremo Tabellæ tamquam in duabus columnis, Herculis acta, ac certamina deſcribuntur, non quadrata Græcorum litera, ſed Capitali incomptè, ac ruſticè delineata: quam mihi oſtendit antiquitatis optimæ optimus inſtaurator, ac vindex Eques Caſſianus à Puteo, vt ex eis, quæ ſuperſunt, reliquijs excerperem, & antiquitatis fruſta reſtituerem. Priſcas porrò literarum figuras Capitales fuiſſe, fusè, eleganter, atque eruditè probat Ioannes Laſcaris Rindacenus, Epiſtola præfixa in Epigrammatario Græco, ab ipſo Capitalibus literis quadratis edito Florentiæ 1484. ad Petrum Mediceum; quam vidiſſe operæ pretium

fuerit. Annon ergo Feſulanus ſtultè nobis conatur imponere, dum Græca illa, quæ infra examinabimus, charactere,quo modò imperiti vtuntur, antiquitatem proponit?

XXXVIII. Inſcriptionibus adductis nihil probari, argumento eſſe poterit, in tanta copia præter vnam, vel alteram duas nobis literas Minuſculas indicari, *t* nempe, & *b*: nam de Diuionenſi quid ſentiendum ſit, alij dicent. Ego dicerem, poſtrema illius verba vt repræſentantur à Riccardo in Antiquitatibus Diuionenſibus, cùm nihil ſignificent, alio etiam à Latino characterum genere, vel aliarum, atque aliarum nationum notis commixto eſſe conſcripta. de quibus ſanè, ne multa ſomniem, prouinciam alijs relinquo. Vidi ipſe ſæpiſſimè in antiquorum Nummis, & Phylacterijs literas, Cræcarum literarum formis quàm ſimillimas;eas cùm diutiùs meditor, & legere cogor, in nonnullas interiectas impingo, quæ legentem me detinent, & conantem verbum proferre prohibent, licet enim Græcæ videantur, Græcæ tamen non ſunt. Sic quas hodie Ru-

theni vſurpant, primo aſpectu Græcæ ſunt, & Græcarum ſonum referunt; inter eas tamen nonnullæ, cultu licet Græco, Græcitatem non habent. Gothorum ipſæ literæ, vt ex proprijs etiam exempla promam, in has noſtras à priſtina ſua forma, nitoreque iam degenerantes, primo aſpectu Græcas Capitales magis, quàm Latinas repræſentant, cùm tamen Græcæ minimè ſint. Adi, ſi placet, Commentariolum in literas Gothicas à Vulcanio editum. Idque vt magis habeas, Coptorum literas adi, quas optimè examinauit, & penè abolitas fortunatiſſimè reſtituit Athanaſius Kirkerus, linguarum Orientalium hoc æuo promus, & condus. Literæ illæ Græcæ ſunt, habent tamen & alias Græcis ſimiles, à Græcis tamen diuerſiſſimas. Fruſtra itaque, quia vt plurimùm Græcæ literæ ſunt, omnes Græcas eſſe, easque in vſu probaretur. Eodem modo verbum Inſcriptionem claudens, primo aſpectu notas literarum repræſentat Latinas; ſi accuratiùs verò introſpicias, quantùm à Latinis diſtant? Neque nouum eſt in Inſcriptionibus, & ex-

teris potiſſimùm, non modò literarum formas diuerſas, ſed etiam verba, & membra immixta, quidquid illud in cauſa fuerit, extitiſſe. Bonauentura Caſtillioneus, in Gallorum Inſubrium antiquis ſedibus, narrat, in Sempronij monte prope vallem Oſcellæ, etiamnum in montis fornice inſculptas ſaxo videri literas, notis quidem Græcis, ſed quæ intelligi nequeant, ob idioma ignotum, quod putat Burgundiorum eſſe, qui Græcis vſi characteribus, linguam propriam retinebant: idque probat teſtimonio Cæſaris de bello Gallico lib. 1. cap. 29. qui ſcribit, ad ſe perlatas Tabulas, in caſtris Heluetiorum repertas, & literis Græcis confectas. Non me latet Franciſcum Hotmanum, Ioannem Rhellicanum, Manutium, & alios, Tabulas eas, & literis, & vocibus Græcis conſcriptas fuiſſe, nec abſque ratione crediddiſſe: vt Glareano tamen & Lipſio aſſentiar, qui de nudis characteribus accipiunt, neque enim putant vſum illum ſermonis Græcanici Heluetijs innotuiſſe, faciunt Inſcriptiones, quas tradit Caſtillioneus in hanc vſque diem non

potuiſ-

potuiſſe intelligi; quod in tanta linguæ Græcæ peritia haud difficile fuerit; illæque vnà cum alijs Inſcriptionibus Græcis locum haberent. Cùm ergo linguæ alio, atque alio charactere ſcribi, atque exprimi poſſunt, non eſt mirum, ſi ſub vnius linguæ charactere, aut non omninò diſſimili externa lingua lateat. Vide quæ adnotauit Iodocus VVillichius, Comment. in Cornelij Taciti Germaniam cap. 6.

XXXIX. Fruſtum alterius, quam viderat Smetius, vbi nobis *b* quater objicitur, cùm ſequiori ſeculo exarari potuerit, quo Minuſculæ noſtræ frequentarentur, non eſt quod ipſe in illius expoſitione diutiùs morer. Tertia tantùm è Scaligero videtur negotium faceſſere, quæ, & antiquiſſima, & ante Minuſcularum vſum ſcripta fuiſſe, non improbabili ratione videtur, in qua *t* noſtrum non ſemel cernitur. Dicimus T literam, vt in ea ſignata eſt, non eſſe noſtram Minuſculam, ſed eſſe antiquiſſimam Romanorum, licet poſtea inter Minuſculas noſtras locum habuerit. Auſonius.

*Malus vt antemnam fert vertice,*
*ſic ego ſum t.*
ſic enim, vt mali imaginem referat, non cum Capitali T, ſed cum minutiori calami currentis nota *t* conuenit: eiusque à Græca diuerſam figuram indicat Tertullianus. *Ipſa eſt littera Græcorum ταῦ, noſtra autem ſpecies t Crucis*. Et vim aduerſatiuæ particulæ *Autem* nota. Quia tamen Crucis forma non vna olim fuit, quemadmodum ex Artemidoro, & Maximo Taurinenſi probat Lipſius De recta pronunc. Ling. Lat. cap. 16. ita & de forma T non nemo poterit dicere, Tertulliani, Auſonijque verba intelligenda eſſe: concedam ipſe eo æuo apud nonnullos minutioris *t* vſum fuiſſe, quod Sculptor ille cum reliquis Maiuſculis exſculpſit. Ratio tamen ipſa euincit, ſi reliquæ Minuſculæ in vſu fuiſſent, quemadmodum & *t*, omninò & ipſarum in tanta, ac varia Inſcriptionum copia, ſi non omnium, maiorem ſaltem partem comperiremus. Fieri enim numquam potuiſſet, vt ab incurioſis etiam, dum parùm cautiùs, ac negligentiùs aliò, atque aliò animum aduertentes operam

ram impendunt, exciderent. Neque propterea id negamus, multas ex his Minuſculis, Quadratis, & Capitalibus ſimiles eſſe; inter quas potuit collocari, *t*. Non enim hæ à grandioribus illis ita degenerarunt, vt aliam ſpeciem, ac formam induerint. Sed difficultas noſtra eſt, Num omnes iſtæ literæ, & ea ratione ita exararentur, vt modum noſtrum ſcribendi currentem æmularentur, & ſcriptionem vſitato à nobis modo redderent. Quod eo tempore non fuiſſe, niſi quis pertinaciùs obſiſtat, puto me comprobaſſe.

XL. Tandem etiamſi concedamus quidquid Aduerſarij prætendunt, Veteres nempe priuatis vſibus Minuſculis; publicis, & ad Libros deſcribendos Maiuſculis vſos fuiſſe; non inde tamen colligitur, Minuſculas illas eaſdem atque has noſtras fuiſſe, ſed adeò diuerſas, vt vix legi ſine labore poſſint: quod non mirum per temporis vices literis illis accidiſſe; cùm hac etiam ætate conſpicuum ſit, eorum vſum adeò varium eſſe, vt ſæpè ſæpiùs ab omnibus non internoſcantur; alia namque ratione Ger-

mani, alia Hiſpani, alia Galli, cùm tamen eædem omnium Minuſculæ ſint, literas exarant, vt difficilè ſit eas percipere: idque non è Scriptorum ignorantia, qui illas effingere neſciant, ſed ex modo quodam, cuilibet Nationi proprio, quæ in notandi hanc potiùs formam, quàm aliam, optimam tamen ab ipſis iudicatam, inclinant. Non fuit ergo, nec potuit eſſe vnus ſemper, ac perpetuus literarum efformandarum modus. Vidi ipſe in papyreis Voluminibus Inſtrumenta variarum Donationum, ac Priuilegiorum deſcripta, quæ modo in Bibliotheca Vaticana ſeruantur; & inter ea vnum 3. Non. Ianuarij poſt Conſulatum ſexies Paulini Iunioris, qui eſt annus Domini 499. & aliud Donationis factæ eidem Eccleſiæ Rauennatenſi duorum Feudorum, tempore Paſcalis primi Papæ: ac aliud cuiuſdam donationis factæ eidem Eccleſiæ Anno 15. Heraclij Auguſti: necnon fragmentum Epiſtolæ Agnelli Archiepiſcopi Rauennæ, gratias agentis Auguſtiſſimo Principi Iuſtiniano Iuniori Auguſto ob collata beneficia in Ciuitatem Rauennam, qui

Agnellus viuebat Anno 558. Nec multùm ab his neque tempore, neque argumento, neque ſcriptione diuerſi exemplum ſe vidiſſe, antiquitatis, & linguarum peritiſſimus Lucas Holſtenius aſſeuerat; quod improbo ſanè labore, & poſtquam in quærendo literarum formas, expiſcandoque ex ingenio characterum figuras, non paucas horas contriuiſſet, tandem proſperis cunctis ſuccedentibus, (quis enim eo in antiquitate pertractanda, aut fortunatior, aut aptior?) in characteres noſtros tranſmiſit; vt facilè cuilibet Inſtrumenti ſententia pateret. Hæc omnia adeò à noſtro ſcribendi modo, licet literis Minuſculis ſcripta ſint, diuerſa ſpectantur, vt diu, antequam attentiùs res conſideretur, inter literatos Viros dubitetur, an ſcriptura illa Latina ſit? tandem vna, vel altera litera comperta, non ſine ingenti ſtudio, ac labore, formis illis deprehenſis, voces etiam, & ſententiæ exſculpuntur. Et hæc antiquiſſima, ſi ſcripturæ vires expendimus iudicantur. Vidi alia recentiora, ex quibus, ne omnia commemorem, quamplurima in Pergamena ex Ar-

chiuo, & Bibliotheca Baſilicæ Principis Apoſtolorum, oſtendit mihi humaniſſimè, Vir in illis pertractandis accuratiſſimus, Ioannes Baptiſta Nardonus: inter ea præcipua referuntur, quæ annis *966.990. 998.*1003.1026. 1029.1036.1041.1073. & 1093. Addi poteſt, quod anteà mihi ſuppeditauerat eximia eruditione celebris Gabriel Naudæus, tempore Gregorij Papæ VII. confectum, ſub anno Domini 1118. adeò ab his, quos vocamus Minuſculos, characteribus diuerſum, vt quidam parte auerſa adnotarit, de eo poſſe dici, neque id minùs aptè de alijs dixeris, quod Accurſius in Gloſſis, *Græcum eſt, non poteſt legi*. tantùmque à ſupra commemoratis Vaticanis differunt, vt ne literulæ quidem ſimilitudinem habeant. In eadem Baſilicæ Vaticanæ Bibliotheca, ſua antiquitate conſpicuum D. Hilarij de Sanctiſſima Trinitate Codicem attentiùs conſideraui anno 15. Tranſmundi Regis, ante nempe ferè annos 1128. conſcriptum literis Maiuſculis, quibus & Minutiores hæ noſtræ, grandiori tamen forma, nec per omnia noſtris ſimiles,

miles, pro Scriptoris puto genio, fuerunt admixtæ, tunc ſcilicet, cùm Longobardorum fœculenta illuuie Maiuſculæ in Minuſculas ſenſim degenerabant: neq; enim res adeò laudabilis è veſtigio potuit deteſtabili conatu nobilitari. Neque alterius conditionis ſunt, Auguſtini in Geneſim ad litteram, contra Donatiſtas. S. Hieronymi aduerſus Iouinianum. S. Cypriani Opuſcula. S. Eucherij Opera. Saluiani, & Ruſtici Presbyterorum Epiſtolæ ad Eucherium; quæ omnia ipſe hìc Romæ vidi apud alios. Quemadmodum & non multò his recentiora Volumina, quæ etiam Romæ conſpiciuntur; Ioſephi Antiquitates, & de bello Iudaico; Beda de geſtis Anglorum; Hieronymi in Epiſtolas Pauli; Auguſtini de vera Religione; de Vtilitate credendi; Soliloquia; De Diuinatione Dæmonum; De Natali S. Leontij ad Alypium: Regula Monachorum Ægypti à Io: Caſſiano Maſſilienſi Presbytero conſcripta, quam Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus breuiore ſcripſit ſermone. His illud argumento eſt, eoque euidentiſſimo, Minuſculas in alias, atque

alias

alias formas longè diuerſiſſimas, prout ferebat occaſio, abijſſe; &, ſi quæ æuo Ciceronis, aut Syllanis temporibus fuiſſent, multùm inter eas, & has noſtras interfuiſſe, quas ipſi nullo, puto, aut immenſo ſtudio intelligeremus, vt alij quoque obſeruabant. Et Feſulanus iſte tam facili negotio ſuadebit eaſdem fuiſſe? Nihil vnquam vidi iniuſtius, ſi quidquid imperitus iſte facit, rectum id omne putandum eſſe contendatur.

XLI. Libri prætereà, & monumenta Volaterrana in Gordo ad rerum geſtarum memoriam, futuris temporibus prorogandam, conſeruata, an diſtortiſſimis hiſce literis ſcribi debuerint, cùm aliæ Nationes, melioribus characteribus, ac præſtantioribus res ſuas ſcripto conſignarent, vt non tantùm præclarorum facinorum gloria, ſed ſcriptionis etiam faſtu legentes ad ſui admirationem allicerent, dicat ipſe perſpicaciſſimus Feſulanus, qui minutiſſima præuidens, in potiſſimis adeò inconſideratus eſt, atque inconſultus.

XLII. Illud etiam ex his antiquiſſimis Inſtrumentis obſeruabam,

licet

licet characteres à noſtris eſſent diſiunctiſſimi, omnes tamen concinnè, aptèque digeſtos, & rectarum linearum ductu æquales, non in arcus, aut vndas decuruatos, vt Feſulanicos iſtos, ferri; quos vt quiſque viderit, ægrè nimis riſum contineat. Ego quoque ſæpiùs exclamaui; O Proſperi incuruo ingenio manum non minus incuruam! O Lituum Auguratus, ne tui forma amitteretur, tam multis, varijsque modis in hiſce ſcriptis repræſentatum! Eat nunc Feſulanus, & recta de Cœli ſtatu, Auiumque volatu iudicet, & rerum humanarum ſeriem à Vulterra, quam vocat, condita dirigat, tantopere ipſe & mente, & manu diſtortus.

XLIII. Impoſturæ pariter in his Antiquitatibus non leue indicium ferunt literæ ipſæ diſtortæ, & quaſi per vim à calamo extortæ: vt enim ſcriptura plurium Auctorum videretur, nec Luſor tot modis literas variare poſſet, vel ſciret, eandem literam modò retrò inclinatam, modò ante nutantem, modò largiorem, modò anguſtiorem expreſſit. Hinc factum, vt rara linea ſit, quæ recta ab vno latere

tere in alium procurrat, ſed pleræque in altiora, quàm incæperint, diffugiunt, aliæ quaſi vndæ, nec per totum ſui ſimiles, arcuantur, aliæ ad ima deflectunt: adeò vt alicubi in imo angulo ſiniſtro præter numerum linearum vna, vel altera imminuta, quando in principio ſuperior linea ſpatium occupauit, locum habeat. Sæpiùs vnà mecum riſi, dum illas conſiderabam attentiùs, ſæpèque etiam miſeram Etruſcorum conditionem per tot ſecula continuatam deplorauí; qui cùm aliorum ſe profiterentur Magiſtros, tam diſtortis lineis, ac literis ſcripſerint, vt planè iam pueri incipientes diſcere videantur. Id verò cùm falſum ſit, & quemadmodum imperio, & diſciplinis, ita etiam & literis exculti, celebresque eſſe debuerint, excellentia enim vnius artis reliquas etiam celebriores, cultioresq; reddit; omninò affirmare debemus, Luſorem nugarum artificem, vt varietate characterum, varietatem quoque operum inſinuaret, dedita opera literas ex vno calamo emanantes, inuita etiam Minerua corrupiſſe. Ne res fictæ, & ſuo ortu nimiùm por-

ten-

tentoſæ pulchris characteribus exprimerentur, ſed omnia & res, & dictio, & literæ, ſuæ deformitatis paritate dolum indicarent.

XLIV. Vt verò magis, ac magis Luſoris ingenium deprehenderetur, Scriptores Romæ præcipuos, & qui in arte Scriptoria primi habentur, & meritò, & inter eos inſignes Horatium Felicem Romanum, & Leopardum Antonotium Auximatem, ne alios commemorem, aduocaui. Priùs ij ſeparatim, deinceps ſimul ſcriptione inſpecta, & maturè conſiderata, collataque vna pagella cum alia, ſincerè admodum in vnum conuenere, omnem illam ſcriptionem, vel potiſſimam illius partem, etſi varia ob enormes, inuerſaſque literas videretur, eſſe omninò vnam, eandemque, & ab eodem calamo natam, in qua manifeſtè Scriptoris ingenium deprehenditur, qui vt characteres effingeret, fluenti ſcriptione neglecta, ad violentam quandam & inſtar prodigij literam confugit. Multa illi ſententiæ ſuæ argumenta, & pares literas, verbaq; non diſſimilibus expreſſa literis in diuerſis chartulis notauerunt,

runt, quæ, ne nimius ſim in leuiſſimis hiſce, & manifeſtis, prætereo. Illud vnum dixerim, characterum varietatem, quam Luſor in diuerſis ſchedulis, vt diuerſos Scriptores aſſereret, eſſe manifeſtam prætenderet, in eadem etiam chartula, & in eadem linea, quæ nonniſi ab vna manu fluxiſſe certum eſt, ab eiſdem huius artis ſcitiſſimis, & quibus in hoc negotio tamquam doctis exiſtimatoribus, & intelligentibus fides habenda eſt, & habetur ſanè hic Romæ ab omnibus, repertam, obſeruatamque fuiſſe. Non arguit ergo characterum iſta varietas varietatem Scriptorum.

XLV. Cùm poſtmodum de hiſc e cum Eccleſiaſticæ antiquitatis ſolerti indagatore Florauante Martinello ſermonem haberem, nil id mirum eſſe dicebat, quandoquidem more impoſtorum ita comparatum eſt, vt ipſi vna manu, eodemque calamo varias literarum formas, ac ſi à diuerſis Scriptoribus exaratæ fuiſſent, effingant. Scriptionis enim illa varietate, Scriptorum etiam ementita varietate ſignata parùm cautos deludunt, & multitudine opprimunt: id-

que

que Alfonſi Ceccarelli, non diſſimilibus flagitijs, mortis etiam genere ob eadem famoſi, Autographo comprobabat: cuius hic ſtructuram, & res recenſere non erit ſine pretio operæ. Liber is, vt videtur, atramento iam euaneſcente, & marceſcentibus, ac in extremo, iuncturis etiam, quibus colligantur, laceris paginis, quod eadem fraude factum eſt, ſatis antiquus. Literarum formæ variæ, nec ab eodem calamo, niſi introſpiciantur, legentium oculis obijciuntur; plures in eo exſcribendo operam impendiſſe, ipſo primo aſpectu dices: aſt vbi cenſoria virgula oculum fixeris, fraus in propatulo fit; vnam nempe fuiſſe manum, eundem calamum, qui omnia illa deſcripſerit; cumque vellet occultare dolum, in agreſtes ſæpiſſimè literarum figuras delapſum. Hinc lineæ diſtortæ, nec ad vnam normam diductæ: occurrunt namque inter variantes illas literarum formas eædem literæ, ac tractus calami exarantis, quos fraudis artifex, etiam ſi id conaretur, natura, habituque ita eos diſponentibus, occultare non potuit: & his potiſſimum dolus detegitur. Pleraque

raque

raque in ipſo Libro Regum, Imperatorum, ac Summorum Pontificum, alijs, ac alijs Ciuitatibus conceſſa priuilegia. Vrbium diuerſarum Chronicorum fragmenta; Antiſtitum, qui nullo modo apud alios reperiuntur, egregia facinora; & alia, quæ Populis, & Ciuitatibus famam, & nomen non incelebre conciliarent. Hinc ille, vel ex ſe, quandoque etiam rogatus, nec ſine ſpe lucri, & familiarum ſtemmata, & Vrbium antiquitates, & Antiſtitum ſeries, tamquam è fonte depromens, ea ſciolis diuenditabat. Et dum illius Auctoris, vt ſupra diximus, volumina tamquam oracula apud vulgum lectitantur, diuina prouidentia factum eſt, vt Autographum hoc tandem aliquando in Bibliothecam Vaticanam conſeruandum deportaretur; vt riuulos ex tali fonte corriuatos cati Viri commodiùs dijudicent, & comperta fraude, explodant. Proh Deus, hominum audaciam, & inuerſos mores! quantùm à perenni, conteſtataque virtute Maiorum deprauatæ voluntatis vitio degenerant!

XLVI. Illud etiam addam, hanc

pro-

procuratam literarum deformitatem, & claudicantes literas in characteribus, quos ille vocat Etruſcos, non percipi. quia prævidebat, legentes ad non notas literas animum tam ſedulò non applicaturos; in illis ſanè, ſi benè conſiderentur, præter molis, & magnitudinis differentiam, nullam aliam characteris diuerſitatem agnoſcas. Quòd ſi omnia iſta inter ſe benè, optimèq; cohærent, annon lineola illa Græca in præfatione poſita, nouitatem rei oſtendit? Characteres illi, licet ad formam Græcorum efformati videantur, attamen non alij ſunt, quam quos hodierni Itali, dum Græca ſcribere incipiunt, cùm ductum, modumq; exarandarum Græcarum literarum à Præceptore nondum perceperint, ſine vlla venuſtate ſcribunt; quos, vbi poſtea didicerint, viri etiam, ſenesque cùm errorem non ita facilè corrigere poſſunt, conſeruant: ſimiles literas, poſtquam in Italiam Græcæ literæ reduces, Latinis hominibus obuiæ factæ ſunt, ſimili tractu exaratas vidi Romæ ſæpiſſimè, & alibi.

**XLVII.** Sed ſit de literis; quid

de

de ſententia Græca? Diſperéam, ſi, quæ dicuntur, Græca ſunt. tantùm abeſt, vt Syllanis temporibus, cùm Græcorum ſtudia florerent, ſcripta ſint. Et ne nugax Luſor nugari nos dicat, en verba. Γερουσι. ἀλλὰ μνειᾳ ἀνταξι ... ------Quartam, & vltimam ſyllabam tempus eroſit. Poſſem hìc plura dubitare, An eo tempore accentus literarum eſſent in vſu; quod non video. & accentuum notulas nullas, aut raras in priſcis Libris, non Latinis ſolùm, ſed & Græcis fuiſſe; & quæ ſunt in Inſcriptionibus in Domo Delphinorum, Agro, & via Præneſtina, eas imperitam aliquam ſculptoris manum, & malè curioſam ſcripſiſſe, contendit Iuſtus Lipſius, De pronunciat. Linguæ Latinæ c.19. Quemadmodum & ea, quæ in lapide quadrato Veſontione reperto dicitur, GEMINA'II IVLIA, fabrile eſſe mendum ſcribit Ioannes Iacobus Chiffletius in Titulo ſepulcrali Geminæ, Matris ſacrorum.

Gulielmus interim Canterus, Syntag. De rat.emend. Græcos Auctores, cap.6. probat, tum ex vetuſtis Codicibus, tum ex Scholiaſtis, veteres Græ-

cos

cos nudas literas abſque apicibus vllis pingere ſolitos fuiſſe; quòd etiam ſæpiùs aſſerit Politianus, ſed potiſſimùm Miſcellan.cap.58.& 80.vbi carmina ſine vllis accentiunculis ſcripta veteri more affirmat. Ne tamen ſine vlla diſtinctione omnia confunderentur, punctis verba, ſententiasque diſparabant, & continuam dictionem quaſi interuallis, & ſignis diſcernebant; cùm verò literarum lineolæ in tria ſpatia diuiderentur, ſupremum, infimum,& medium,hinc factum eſt, vt apud vetuſtiſſimos Græcos vario puncti ſitu, dictio ipſa, & periodus variarentur. Conſtantinus Laſcaris,

Στιγμή ἐστι διανοίας τελείας σημεῖον. διαιρεῖται δὲ εἰς τελείαν στιγμὴν, μέσην, καὶ ὑποστιγμήν. τελεία στιγμή ἐστιν, ὅτε ἡ διάνοια τελεία ὑπάρχει. μέση, ὅτε ἡ διάνοια μεσάζουσα, καὶ ἀτελής. ὑποστιγμὴ, ὅτε κρεμαμένη, καὶ ζητεῖ τὸ ἐπίλοιπον.

*Punctus eſt abſolutæ ſententiæ ſignum. Diuiditur verò in Perfectum Punctũ, Medium,& Infimum. Perfectus eſt, cùm ſententia abſoluta, ac perfecta eſt: Medius, cùm quaſi in medio ro-*

*rotans, nondum finem attigit: Infimus cùm pendeat adhuc, & ſubſequentem poſtulet*. Et quamuis hìc non incongruè quæri poſſit, quænam apud antiquos interpungendi ratio fuerit? quam tamen aliquo modo fuiſſe, auctoritate Senecæ Epiſt. 40. Ciceronis in Oratore, & pro Murena, vbi *notas Librariorum, interpunctas clauſulas in Orationibus, & interpunctiones verborum, & ſcriptorum* legimus, nonnulli contendunt; quibus ſatisfit à Lipſio Epiſt. ad Hubertum Audeiantium; nihilominùs nullam fuiſſe probat idem Lipſius: puncti namque ſolitarij verba ſingula, non membra, aut ſenſus ſecernebant. Hinc idem, notis in Senecam; *Notis poſt ſingula verba poſitis; neque enim alia adhuc interpunctio vſurpata antiquis*. Muretus; *Neque vlla ferè erant inter ſingulas voces interualla: punctis interiectis vocem à voce diſtinguebant, hoc modo. QVAMQVAM. TE. MARCE. FILI.* Quod de Pandectis Florentinis affirmat Lipſius, & Antonius Contius; Præfatione ad Lectores in Pandectas. Et primùm D. Hieronymum id in ſua tranſlatione

Bi-

Biblica attentaſſe, videtur affirmare Caſſiodorus, De diuinis lectionibus cap. 12. *Meminiſſe autem debemus, memoratam Hieronymum omnem tranſlationem ſuam in auctoritate diuina, propter ſimplicitatem Fratrum, colis, & commatibus ordinaſſe; vt qui diſtinctiones ſecularium literarum comprehendere minimè potuerunt, hoc remedio ſuffulti inculpabiliter pronuntiarent ſacratiſſimas Lectiones.* In Demoſthene tamen, & Tullio ante Hieronymum interpunctum fuiſſe tradit idem Hieronymus ad Paulam, & Euſtochium, præfat. in Tranſlat. Eſaiæ: *Nemo, cùm Prophetas verſibus viderit eſſe deſcriptos, metro eos exiſtimet apud Hebræos ligari, & aliquid ſimile habere de Pſalmis, & Operibus* Salomonis: *ſed, quod in Demoſthene, & Tullio ſolet fieri, vt per cola ſcribantur, & commata, qui vtique proſa, & non verſibus conſcripſerunt: Nos quoque vtilitati legentium prouidentes, intepretationem nouam nouo ſcribendi genere diſtinximus.* Poſteà in Homerico Opere ſententias interpunxiſſe, cùm anteà nulla diſtinctione ſubdiuiderentur, Comatas ne-

ſcio quis, grammatico ſe faſtu glo-
riatur.

Εὑρὼν Κομήτας τὰς Ὁμηρείους βί-
βλους
Ἐφθαρμένας τε, κοὐδαμῶς ἐστιγ-
μένας,
Στίξας διεσμίλευσα ταύτας ἐν-
τέχνως,
Τὴν σαπρίαν ῥήξας μὲν ὡς ἀχρη-
στίαν.
Ἐντεῦθεν οἱ γράφοντες οὐκ ἐσφαλ-
μένας
Μαθητιῶσιν, ὡς ἔοικε μανθάνειν.

Ex verſione Ioannis Argoli.

*Cernens Comatas hos Homericos
libros
Iam putrientes, nullibi & ſcriptos
notis,
Punctis notatos ordinans, rectos
dedit.
Marcoris ipſas abſcidit putredines,
Ex quo periti non errantibus vijs
Diſcant, quod eſt par diſcere, &
licet bonis.*

XLVIII. Interpuncta verò, non-
niſi puncta, alio, atque alio modo
poſita, diuerſa à noſtra diſtinctione,
fue-

fuerunt. Punctum enim idem manebat, ſed locis variabat, vt ex Laſcari obſeruabam, cui adamuſſim conſentit Iſidorus lib. 1. cap. 19. *Vltima diſtinctio, quæ totam periodum claudit, ipſa eſt* περίοδος *: cuius, vt diximus, partes ſunt* κῶλον, *&* κόμμα *: quarum diuerſis punctis diuerſo loco poſitis demonſtratur. Vbi enim in initio pronunciationis, nec dum plena pars ſenſus eſt, & tamen reſpirare oportet, fit* Comma*, ideſt particula ſenſus, punctusque ad vnam literam ponitur, & vocatur Subdiſtinctio ab eo, quod punctum ſubtus, ideſt ad vnam literam accipit. Vbi autem in ſequentibus iam ſententia ſenſum præſtat, ſed adhuc aliquid ſupereſt de ſententiæ plenitudine, fit* Colon*, mediamque literam puncto notamus, & mediam Diſtinctionem vocamus; quia punctum ad mediam literam ponimus. Vbi verò iam per gradus pronunciando, plenam ſententiæ clauſulam facimus, fit* Periodus*; punctumque ad caput literæ ponimus, & vocatur Diſtinctio, ideſt Diſiunctio; quia integram ſeparat ſententiam*: Nec diſſentit Diomedes lib. 2. *Diſtinctio quidem eſt appoſito*

*puncto nota finiti ſenſus , vel pendentis mora , quod locis ponitur tribus : ſummo, cùm ſenſum terminat, & vocatur* finalis *à nobis , à Græcis* τελεία: *Medio , cùm reſpirandi ſpatium dat legenti, & dicitur* media, *Græcè* μέση : *Imò, cùm lectionis interruptum tenorem aliud adbuc illatura ſuſpendit, & vocatur à Græcis* ὑποστιγμὴ, *à noſtris Subdiſtinctio*. Similia repetit Donatus , & in Donatum Sergius ; *Igitur Diſtinctio eſt punctum appoſitum ad caput literæ plenæ ſententiæ : Subdiſtinctio , punctum appoſitum ad imam partem ſemiplenæ orationis : Media Diſtinctio punctum appoſitum mediæ ſententiæ ſuſpenſæ propter reſpirationem*. Noſtro etiam æuo aliam veteres à noſtra diſtinctionem adhibuiſſe , & *Inciſum*, ſeu *virgulam*, ſeu *ſemicirculum* , & *duo puncta*, & *punctum cum ſemicirculo inferiùs ducto:* Recentiorum perfectiorem interpungendi rationem ,& pleniorem diſtinctionem eſſe docet Valerius Andreas , Libello De recta interpungendi ratione , & diſtinctionum notis . Punctis itaque, quando reliquas proſodiæ notas in ſubdiuidenda ſcriptione recentio-

rum

rum vſus induxit,curſum remorabantur, idque in nonnullis editis, & potiſſimùm Concilijs Romanis obſeruaui; in quibus licet lineolæ illæ curuæ, quas virgulas vocamus, irrepſerint, nullum tamen apud antiquos eorum vſum in diuidenda ſententia, cùm locum illarum punctus in confinio ſuperiori verſus poſitus occuparet, reperies: conſpicies ὑποδιαστολὴν, ſeu ὑποστιγμὴν, quam Latinè dixeris *Diſiunctionem*, non ad diuidendam ſententiam, ſed quaſi parietem herciſcentem familiam, voces quæ temerè poſſent componi, diſtanti pronunciatione iubentem pronuntiari. Sergius in Donati primam editionem: *Diaſtole eſt nota contraria Hyphen; hac enim nota vitiosè iuncta ſeparamus; & ponitur ad imam partem literæ.* Figura illius, vt aduertit Scaliger De cauſis ling.Lat. li.2.c.57. erat virgula perpendicularis; nè tamen acciperetur pro vocali,I,curuam pinxere, cuius cornua præcedentem complectendo dictionem præſcribebant.ei notas quaſdam. Verumtamen cùm Diomedes,Priſcianus, Donatus, & Maximus Victorinus aſſerant Dia-

ſtolem eſſe dexteram partem circuli ad imam literam, eam nonnulli diſiunctioni, quam in ſcholis hodie virgulam vocamus, ſimilem fecerunt, hac nota,). Lipſius De recta pronunciatione ling.Lat. cap.17. notam eius ait fuiſſe dexteram partem circuli ad imas literas depoſitam ſic, (.Ne legeretur itaque *vrſus* in carmine, *in littore conſpicitur ſus*, voci *ſus* præponebant diſiunctionem. Theodorus Gaza Iſag. Grammat. lib. 3. ἡ δὲ ὑποδιαστολὴ τὸ ἀνάπαλιν. διαίρεσις γάρ τις δυοῖν. *Subdiuiſio verò contra diſſolutio quædam eſt duorum*. affert exemplum ὅς, τις. Plura huiuſce rei exempla comperies apud Euſtathium in Iliad. ϑ. pag. 701. & pag. 1170. & alibi. Tandem poſtremis temporibus illa puncti ſuperioris nota, non abſolutæ ſententiæ locum occupauit. De accentiunculis, & voculationibus non inconcinnam, neque inuenuſtam Lucubrationem ab ingenioſo, & literaturæ antiquioris inueſtigatore diligentiſſimo, iuuene Carolo Morono in Auli Gellij cap.6. lib. 13. qui ſedulus tanto Auctori operam omnibus proficuam nauat, expectamus.

Quod

Quod de Græcis, & Latinis diximus, idem de Lege Iudæorum aſſerendum eſt. Quamuis enim nonnulli non modo dictionum, & verſuum diſtinctionem, ſed etiam accentuum, punctorum, variarum lectionum, innumerabiliumq; περιεργιῶν minutias per Kabbalam Moſis è monte Sina deriuatas eſſe contendant; antiquiſſima tamen Iudæorum traditio, conſtanſque Rabinorum, & immota ſententia eſt, vt adnotauit prudens, & doctus harum rerum examinator Ioannes Morinus in Exercitat. Eccleſiaſticis in vtrumque Samaritanorum Pentateuchum, exercit. 2. eam à Moyſe ſcriptam eſſe ſine punctis, ſine Paraſchis, ſine verſibus, & ſine vlla dictionum à ſe inuicem diſtinctione.

XLIX. Item in dubium verterem an Iota ſubſcriberetur; quòd paucis ab hinc annis, vt ita dicam, in tanta antiquitate mos Iota ſubſcribendi introductus ſit, cùm antea poſtſcriberetur. Si accentus erant in vſu, quare in γερουσι, & in ἀνταξι omiſſi ſunt? ſi non erant, quare in alijs additi? Tam oneroſum erat illo ſeculo quatuor verba Græca correctè ſcri-

bere, & Feſulano potiſſimùm, qui Græcam linguam, vt ipſe aſſerit, didicerat? Quid porrò ipſe ait? ſi ex ſententia Latina diuinandum eſt, ita fortè debuit ſcribi. γερούσια, ἀλλὰ μνείᾳ ἀντάξια. quaſi illud vellet, *vetuſta hæc eſſe, ſed memoria digna*. Sed quis illud docuit ἀντάξιον idem eſſe cum ἄξιον? licet enim apud Homerum inueniatur ἄξιον pro ἀντάξιον, numquam tamen viceuerſa inuenitur ἀντάξιον pro ἄξιον. quod ſignificat alterius rei inſtar eſſe. & tunc quæ verborum Græcorum erit ſententia? Præterea ſi ἀντάξιον in eo ſignificatu concederemus, quis illum docuit, iungendum eſſe cum datiuo, cùm apud Auctores Græcos tam ἄξιος, quàm ἀντάξιος genitiuo conſtruantur? quare debuit ſcribere μνείας ἄξια. Et barbaries iſta, & ſolæca, & characteres claudi, nouiſſimique, antiqua iudicabuntur? Debemus tibi plurimùm, Feſulane, qui non plura Græca ſcriptitaſti; nam vtique enecaſſes nos.

L. Et, quando iam aliud ex alio incidit; Circumſpice, Lector, animis, & cogitatione Feſulanum iſtum, qui nõ tantùm augurandi artem, ſed cæteras

etiam

etiam diſciplinas, &,quod magis eſt, literas Græcas edoctum ſe fuiſſe diuenditat,pag.1. Pater eum *non ſolum Ethruſcam, ſed etiam Græcam, & Hebraicam linguam docuit*. Ex altera item parte perpende pag. 10. in Collegio Augurum, & in Curia, antiquiſſima monumēta Hebraicis,Etruſcis,Græcis,& Latinis literis.pag.152. clariùs monumenta Thuſca,Græca, Hebraica, Vmbra, & Latina in Vulterrano Augurum Gordo, & in Aginaſth adſeruata fuiſſe, ea nempè, quæ Feſulanus pag.2.ſecum detulerat. Eſt quod ex Feſulano ſciſcitari volò; Monumenta illa Græca, atque Hebraica cui, vel vbi repoſuit? ſi repoſuit, vbi ſunt? ſi non repoſuit, facinus fecit indignum, qui Patriæ monumenta neglectui habuit, & Theſauros amico non integros conſeruauit. Seruauit, ſed nondum eruta ſunt; fortaſſe alias eruenda. Dum ſæpiſſimè ſchedas Etruſcas cum Latinis confundit, interpoſuiſſet etiam & Græca, & Hebraica,vel eorum partem,quæ à Scharith ſuis nōn exulaſſent. Sed quanam ratione, quæ non habebat, reponere poterat? ex Græcis, vel Hebraicis fa-

ciliùs Luſor innoteſceret, ad quæ componenda multò fortaſſe ineptior erat, vt ex quatuor hiſce voculis Græcis conijcimus. Hinc Etruſca ſua, quæ nullus nouit, exaggerat, & Latina ſua, quæ ferè omnes deteſtantur, inculcat. Scio lepidè reſponſurum, quod ſæpè ſolet, pag. 157. *Quare id ita, ſcio ego Proſperus*, & pag. 179. *Quare id fecerim, ſcio ego Proſperus*. Annon abundè reſpondit? ſatiùs certè reſpondiſſet, ſi neſciſſe etiam, quod fecerit, faſſus eſſet. Sic enim apud probatos Viros faciliùs fidem inueniſſet, noſque à faſtidio, illiusq; refellendi pœna liberaſſet.

LI. Si quid porrò in ignotis nobis literis, Etruſcis nempe, diuinandum eſt, omninò concludendum videtur, aut has literas Etruſcas non eſſe, aut Tabulam Eugubinam lingua Etruſca veteri, vt aſſeritur, perſcriptam, & à Bernardino Baldo cum interpretatione, notiſque Auguſtæ ab hinc annos vigintiquinque editam, falſam, ac ſuppoſititiam eſſe. neque enim fieri poteſt, vt & charactere diuerſo, & ratione legendi alia, ferè eiſdem temporibus Etruſci illi vteren-

rentur. Eugubina Tabula, ſi quid eſt eruditiſſimi Baldi coniectura, ſcripta eſt poſt Carbonis Conſulatum; ergo ante Feſulanum annos viginti duos, vel, ſi ad vlteriora progrediendum eſt, annos quinquaginta octo, cùm Romanus Conſul Carbonis nomine inſigniretur. Quomodò ergo breuiſſimo tempore tanta literarum,& characterum mutatio fieri potuit? In Eugubina enim characteres omnes, licet inuerſi, merè Latini ſunt, & noſtris ſimiles vt plurimùm, vt ſingula examinanti patere poteſt. At, quas Feſulanus appingit, licet in nonnullis videantur ſimiles, ſi tamen omnes conſiderentur, diuerſiſſimæ ſunt. &, quod non contemnendæ conſiderationis eſt, Eugubina, Hebræorum more, à dextra in ſiniſtram ſcripta eſt; Feſulanicæ à læua in dextram, Romanorum, Græcorumque more egeruntur. Quod inde arguo;ſcriptiones enim omnes in ea parte, qua incipiunt, lineas omnes adamuſſim vna ſub altera conformant, ita vt vna aliam non excedat, neque excedatur ab altera; quod in fine verſus, vbi finiunt, non ſemper obſeruant, ſed

hanc longiorem, aliam breuiorem, pro vt ſeſe occaſio tulerit, & literarum connexus, relinquunt. Obſerua ergo, in Hetruſcis hiſce ſchedulis à læua parte verſus ſemper æquales eſſe, literasque ex eodem puncto moueri omnes, quod in dextera non fit; euidentiſſimo argumento, ſcriptionem illam non ab alia, quàm à læua incipere. idque euidentiùs colligo ex carmine Tragico, quod Iaſium vocat, pag.260. cùm ibi ex carminum fine longiori, & breuiori, vnde ſcriptio ordiatur, ſine vlla hæſitatione habeatur. Et, vt Feſulanus finem faciat blaterandi, vide ibi notas carminibus præpoſitas, aliquando etiam iteratas, quibus loquentium nomina notari neceſſe eſt, omnes in parte læua: at ſimiles notæ non in fine, ſed in principio verſus, vbi locutio incipit, apponuntur. An dictionibus puncta, quæ ſemper in fine dextro lineæ conſpiciuntur, ingenioſiſſimi illi Etruſci præponebant? O præpoſterum Feſulani ingenium! Si Feſulanus, vt ſuas defendat, Eugubinam refellet, videbimus vndenam Eugubini ſuam defendent, Si certa eſt apud Eugubi-

nos

nos illius Tabulæ antiquitas, habent quid in Feſulano irrideant, & nugacitatem tanti impoſtoris compeſcant.

LII. Oracula item, & Vaticinia poſtremum ſeculum redolent,ex Ioachimo, alijsque, ſed infeliciter admodum, conficta. Illa penitùs ridicula ſunt, quorum in eo ſitam diuinitatem Auctor exiſtimat, ſi, non more hominum, ſed beſtiarum loquatur. pag.267. *Bos vt Leo rugiet.Leo comedet paleas*, &c. pag. 264. *Oculi mei mala audierunt, aures meæ peſſima viderunt*. pag.270. *Rugiet aqua, bibet Leo, Piſces Leonem deuorabunt, nec os reman bit*. pag. 271. *Ridebit lugens, deſtruens ædificat*. Eia age, quod felix, fortunatumque ſit. Vaticinare & tu Feſulane. *Qui dormit, vigilat, ſic furem propellit. ò ſi non dormiret, fur furaretur*. Quid porro erit ineptire, ſi hæc vaticinia ſunt, ipſis etiam antiquis ludibrio habita? Quamuis enim ea, & obſcura,& difficilia, vt plurimùm, ſint, quò tamen extra ambiguitatem, clariorem ſententiam produnt, eò admirabiliora iudicantur. Quemadmodum illa ſpernun-

nuntur, quæ adeò clara ſunt, vt rem monſtrent quaſi digito, non prædiuinent. vt illa, pag.3. *Verum quod maximè delector ex Thuſcia poſt multa ſecula eum naſciturum, cuius pater Caſtri huius reliquias poſſidebit, hic habebit amicum fidelem. ipſe amicus, & pater antiquitatum ſtudioſi, hic ſcripturas inueniet. alius ſi forte inuenerit, eas tangere non audeat. alioquin Superum, Infernorumque Deorum iram expertus peribit infelix.* An clariùs quidpiam poſt factum ipſum, & Scripturarum inuentionem, ſi res depingi debuiſſet, dici, deſcribique potuit? Præterea, an è Triſmegiſto Mercurio, Sibyllinisque oraculis, & tota lege Moyſis, & Prophetis ſimile quid poteſt afferri; *Anno à Rege Iudæorum nunciato* CIϽIϽCXXIIII. *crucifixo* CIϽIϽXCI. &, *Fideles eius vitam inuenient?* Hoc eſt factum ſcribere, non futura præſagire. nimis aperta ſunt. credat qui volet, in rebus abditiſſimis plus vidiſſe Feſulanum nebulonem, quam alios Prophetas, Deo dilectos, & ad id muneris ab eodem electos, & clariora enunciaſſe. Et, quod intereſt, Myſterium abſconditum

ditum à ſeculis, & generationibus, ante etiam Chriſti aduentum gentibus fuiſſe euidentiſſimè reuelatum. Quid ergo pluris habebunt ſanctiores Chriſti Diſcipuli? de quibus dictum eſt ad Coloſſen. 1. 26. *Nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis eius.* & ad Rom. 16. 25. *Secundùm reuelationem myſterij, temporibus æternis taciti.* Quòd etiamſi Feſulanus iſte Balaamica Aſina grandiùs inſtinctu diuino rudiat, haud tamen fieri poteſt, vt Regem Iudæorum & nunciatum, & crucifixum proclamet; ſed, quemadmodum alij eiuſdem hæreſis homines, quos ſancti Patres pro roboranda Fidei veritate aduerſus gentes afferebant; neque ita ſonora, neque ita intelligibili voce enunciet, ſed in ſe certiſſima veluti peregrinus balbutiat, & muſſet. Quomodò verò de obſcuriſſimo negotio palam effari potuit, qui de proprijs, & quæ iamiam impendebant, dubius, incertusque pronunciabat? pag. 3. *Me autem Romanorum captiuum futurum, aut caſurum eſſe cognoui*. Ergo mortis genus ſibi imminentis prædiuinus iſte certò non nouerat, ſed in ambiguo erat, an capti-

captiuus poſt bellum ſequeretur Romanos, an mortem obiret. pag. 4. *Si antequam publicè omnibus exponas ſcripturas, moriaris, hæredes tui tuas vices ſuſtinebunt.* Et tamen vates, qui tàm exquiſitè inuentionis huiuſce tempora præſcripſit, durationem vitæ inuentoris multò faciliùs præcognoſcere poterat. vel fruſtra ergo in eius vicem, qui poſt ſcripturas publicatas ſuperſtes futurus erat, hæredes aduocantur, vel ſi certam mortem præuidiſſet, non eo tunc vti debuerat dicendi modo; Sed, *Quando ante publicatas ſcripturas mortem obibis, hæredes tui tuas vices ſuſtineant*. Quid prætereà tam prouidus Haruſpex, & Vates, pag. 272 *Chartam non poſſum habere, obſidione vrgente*. Tantùm erat, qui momenta temporis Regis Iudæorum præuiderat, chartam præuidiſſe in ea obſidione defecturam; & potiſſimùm cùm iampridem animum ad Scripturas, quæ ſine charta perfici non poſſent, & inclinaret, & æſtuaret?

LIII. Materia prætereà, in qua ſcriptum eſt, fortè antiquitatem Scripturarum demonſtrat? nihil minùs: cùm

cùm multò Scriptore iſto, & concinnàtore, quem fingunt, recentior ſit. Quis enim dubitat, aut dubitauit vnquam, dummodò rerum vſum percalluerit, An, in qua nunc ſcribimus, Charta Syllanis temporibus apud Romanos, vel exteras nationes in vſu fuerit, cùm poſt tempora Plinij cæpiſſe certo certius ſit? Poſtremum ſiquidem id genus Chartæ eſſe quo nùnc vtimur, ex linteis contritis, & maceratis, & eius Auctorem haud palam eſſe, tradit Polydorus Virgilius De Inuentor. Rerum. lib.2. c.8. Guido Pancirolus Var.Lect.lib.1. cap.28. & De nouis repertis lib.2.Tit.13.& in eum Henricus Salmuthius. Alexander Taſſonus Commentat. variarum. lib.10. cap.26. Matthæus item Raderus, qui eius quoque conficiendæ artificium ex Poëta Germano deſcripſit, in Martial.lib.14. Epigr.7.eorum ſententiam refellit, qui Baſileæ Autographum ſancti Athanaſij extare dicebant; quòd tempeſtate Athanaſij noſtras charta nondum fuerat reperta, & Còdex ille noſtrate charta conſtaret.In Actis etiam Synodi Florentinæ, quæ Andreas Sancta-Cru-

cius

cius olim digeſſit, Prouincialis contra Epheſinum, ad aſtruendam Manuſcripti Codicis antiquitatem, firmiſſimo vtitur argumento; quòd is Liber in membranis, non autem in papyro, quam ſumit pro charta noſtrate, ( nam ſi de Ægyptia papyro, intelligeret, Liber ille ſiue in membranis, ſiue in papyro exaratus æquè antiquus exiſtimaretur ) deſcriptus eſſet, Collat.17. *Ad factum Libri ita dicimus, quòd iſte Liber de anno præterito Conſtantinopoli adductus eſt; & D. Nicolaus de Cuſa portauit, & eſt Liber in membranis, non in papyro, & antiquiſſimus, ita vt ſecundùm iudicium plurimorum, qui viderunt, viſa antiquitate, videatur ſcriptus vltra ſexcentos annos.* Thomas Demſterus in Gloſſas Inſtitut. Iuſtiniani lib.2. tit.1. §.33. *Bombicæ chartæ paulò ante ætatem Accursij excogitatæ ſunt, vt ex Bibliotheca Sancti Victoris ad muros Pariſijs liquet, & Ioſephus Blancanus Societatis Ieſu in Opere de recentioribus inuentis exequitur.* Mattheolus in Dioſcoridem lib. 1. cap.98. *Antiqui ex papyro chartam factitabant, quemadmodum nos ipſam*

ex

*ex contritis linteis conficimus: vnde hactenus antiquum retinens nomen, etiamnum papyrus apud pleroſque dicitur. & , papyri meminit Galenus lib. 8. ſimplic. Medicam. ſic inquiens,* Papyrus ipſa quidem per ſe in vſum medicinalem non venit, at macerata, aut vſta vtilis, &c. *Cæterùm animaduertendum eſt, quòd noſtri vſus charta, quæ ex veteribus conficitur linteis, ijſdem non pollet facultatibus, quibus ea commendatur, quam veteres ex papyro arbore parabant. Quò fit, vt dubium mihi ſit, quonam modo parari poſſit illud Galeni medicamentum, quod de Charta combuſta dicitur, vlceribus ſordidis, ac ſinuoſis vtiliſſimum.* Vides, vt hic Auctor noſtram, quæ ex linteis fit à Charta antiquorum, quæ ex papyro parabatur, ſeparat; quam ætate Galeni, qui poſt Plinium ſcripſit, non fuiſſe adhuc in vſu, ex his, quæ de Charta combuſta differit ex Galeno, apertiſſimè confirmat.

LIV. Hæc dum mecum reputo, & antiquitatis graphicæ reliquias, vt vt tempus edax permittit, inquiro, en venit in mentem B. Mariæ Virgi-

nis Epiſtola ad Meſſanenſes ſcripta, quam Melchior Incofer, doctus equidem Vir, & in diſciplina iuris non minùs, quàm rebus Eccleſiaſticis multùm, eruditèque ſæpè verſatus, ab impugnantium telis exemit, nutantem poſtmodum, & Maledicorum garritu iactatam Benedictus Seluagus, qui ſtirpis genus antiquiſſimæ, & doctrinas non elingues, & horridas, ſed ciuiles, fœcundaſque cum pietate, & religione à puero coniunxerat, Apologia pro pietate Meſſanenſi è diſcrimine eripuit. Hæc, inquam, Epiſtola poterat controuerſiam non de characterum tantùm forma, ſed de Charta etiam dimouere. Quare curiosè ab eodem Incofero literis datis percontor, rogoque enixè, vt characteres mihi Epiſtolæ, Chartamque deſcribat. Quod ipſe reſponſum tulerim, ex eiuſdem ad me Epiſtola, Lector, habeto: *Et hoc humanitatis tuæ eſt, præſtantiſſime Leo, quòd noſtras de Epiſtola B. V. ad Meſſanenſes Coniectationes inter eruditas occupationes admittas, & de argumento curiosè deliberes. Multa opinor tibi veniunt in mentem, quæ ex*

*me*

*me quæras, ſed paucis caput rei petis: quibus nempe characteribus ex Hebræa, vel Græca, Latinis ea reddita ſit Epiſtola, quibus item libris, charta an membrana, aut aliquocumque id generis exarata. Non ſubibo animum tuum; ſapis enim antiquè, non vt multi, qui pridiana priſca putant. Quod reſpondeam ſub manu eſt, vel ſi volumen benè magnum, quod pietati Meſſanenſium dedi, excipias. Exemplum eius Epiſtolæ, quod hìc Meſſanæ ſeruatur, non eam fert ætatem, quæ vſum chartæ lineæ præuertat, nec characteres nouit antiquiores, quàm qui Longobardorum in Italia dominatu vſurpari cæperunt; minutos ſatis, ac rotundis potiùs, quàm prætenſis apicibus, quos nos minuſculos nominamus, minùs graphicè formatos; ita quippe ea ferebant initia. Sanè quò tempore primitiuum Epiſtolæ exemplar Hebraicè deſcriptum fertur, noſtratis chartæ vſus tam fuit notus, quàm Pannonijs albus Elephas; vtebantur verò papyro, membrana, quæ & Pergamena. Ante id verò Priſci ſcriptitarunt in palmarum, ſeu, vt alij, maluarum folijs,*

*neque*

*neque enim decerno; deinde quarundam arborum libris; poſtea monumenta plumbeis voluminibus cæpere incidi, deinde ceris, aut linteis illaboratis inſcribi, non vtiq; Minutis, quibus nos vtimur, ſed Maiuſculis, ſeu Romanis characteribus, quos quidem vnciales appellant. Horum ſpeciem hodieque marmora paulo vetuſtiora exhibent, præſertim quæ paſſim mortuos loquuntur: vt argumento ſit, minutos apices nobis Europæis vſitatos, non à multis adeò ſæculis repetere originem. Non neſcio, aliquos abduci, quòd apud Varronem legant chartam, Alexandri Magni victoria, repertam, condita in Aegypto Alexandria; ſed ijdem facilè affirmabunt, plumbeam quoque eo tempore repertam, cuius antiqui ſatis Scriptores meminere, & chartam vocare ſoliti ſint, quidquid codicibus aptum eſſet, ſiue cornu, ſiue ebur, ſiue quæuis alia in phyliras, & tabellas ductilis materia; quod genus Pugillarium eſt. Quamquam Vlpianus poſteà chartæ appellationem ad ſcriptile quodlibet folium retulerit, vt tamen & ipſe longè ſecundùm priſcos noſtratis chartæ*

*vſum*

*vſum non nouerit: quidni enim ſi huius inuentio centeſimum abhinc luſtrum vix numerat? Qui ab hac opinione abit, eum ego ſi non cum Ariſtophane Crunochytroleraeum, certè cum Athenæo nouum Palæphatium exiſtimarim; vt qui oſtentationis gratia affirmet, quæ apud eruditos fidem non merentur. Hæc ſi lucernam minùs ſapiunt, ſpongiam adhibe, & me tecum dumtaxat loqui putes velim, & abs te, vt ſoles amari. Vale. Meſſanæ Kalend. Maij. Ann. 1636. Tuus, vt ſuus, Melchior Incofer.*

LV. Hinc quoque factum eſt, vt probatiſſimi quique Scriptores, & ab intelligentia, ſenſuque imperitorum diſiunctiſſimi, dum de Lintea charta ſermonem habent, nullo alio, quàm *Noſtratis* nomine Linteam ab alijs diſcernunt. *Noſtras* nempè, quia noſtra vſu, & artificio, & ingenio eſt, quam antiqui non habuerunt, nec cognouerunt. Id de Pergamena non æquè enunciant, hoc etiam tempore, & ſuperiore ætate, Scriptoribus omnibus maximè frequentata; vt antiquis etiam in vſu fuiſſe experientia doceat. Ars verò illa chartarum ex papy-

papyro conficiendarum non hodie, atque heri exoleuit, vtpote quæ iam Euſtathij ætate erat antiquata; quod hæc eius verba oſtendunt in Odyſſ. φ. Ἐγίνοντο γὰρ φασιν ἀπὸ βίβλων Αἰγυπτίων, ὡς οἷα παπύρων ὑδρεχαρῶν καθὰ οἱ τότε μεθώδευον ὑποκείμενα τοῖς γραφεῦσι χαρτάρια. ὁποῖα ἴσως καὶ τὰ ὕστερον ἰδιωτικῶς λεγόμενα Ξυλοχάρτια. ὧν ἡ τέχνη ἄρτι ἀπήλειπται. *Fiebant enim, vt aiunt, ex libris Aegyptijs, quaſi ex papyris aquis gaudentibus quemadmodũ ea ætate homines præparatas Scriptoribus ſubijciebant, Chartas, quales fortaſſe, & qui poſteà ſubſecuti ſunt Chartas ligneas nuncuparunt, quarum artificium hoc æuo obſoleuit.* Vbi notabis tibi ξυλοχάρτια, hoc eſt *ligneas chartas*, Græcis recentioribus appellatas Chartas è papyro, ad differentiam Chartarum, quæ ex linteis concerptis, & contuſis parantur, quarum iamtum vſus videtur fuiſſe apud Græcos, Euſtathij ætate, cùm abolitus eſſet Chartarum è papyro texendarum modus. Papyrum autem li-

gnum

gnum vocabant, vnde ξυλοχάρτια Chartæ è papyro; probatque id Salmaſius ex Caſſiodoro. Nec longè eſt ab Euſtathio Beſſarion Cardinalis, qui in Opuſculo de Proceſſione Spiritus Sancti ad Alexium Laſcarim Philanthropenum, narrat ſe Byzantij in Monaſterio Soteris Pantepopti Codicem Bombycinum reperiſſe, in quo ante trecentos annos, vt ex anno in calce Libri adſcripto ipſe computabat, Opera D. Baſilij fuerant cōſcripta. Et tamen antiquitates iſtæ omnes, vel quas Feſulanus ſcribit, vel quas ab alijs ſcriptas, multò antiquiores, ſi Dijs placet, repoſuit, in iſta noſtrate charta exaratæ ſunt. Quamuis enim eo tempore, & Papyrus, & Membranæ, aliaque ad ſcribendum neceſſaria proſtarent, quæ omnia Plinius lib. 13. cap. 11. & 12. accuratiſſ mè deſcribit, & cum eo Guillandinus, & Dalecampius; De Charta tamen noſtra altum ſilentium eſt; quam abſque dubio, ſi tum fuiſſet, tam optimè de genere humano benè merentem, numquam ſilentio præterijſſet diligentiſſimus Scriptor. Eum fortè aliorum, dum ſcriberet, cùm ab eo longè abeſſent,

obliuio capere potuit; at Charta præſens, & in qua, ſi adfuiſſet, ſcriptitabat, fugere omnino non debuit, nec potuit. Dicant alij quidquid velint; prudentiores tamen Plinium obliuionis, quæ nulla fuit, non inſimulant: non enim dicimur obliuiſci, quæ non diuinamus. At fuerit oblitus Plinius; verùm tot alij accuratiſſimi Scriptores, qui de minimis etiam ſcripſerunt, quonam malo Chartæ fato illius in obliuionem venerunt? Hęccine eos eſſe oblitos, qui tamdiu in ludo fuere?

LVI. Tanti non eſſe Plinij auctoritatem, dicet neſcio quis: Nil enim refert, ſi Plinius tacuit; dura ſiquidem tantus Scriptor adſtringeretur, nulloque modo ferenda, neceſſitate: non potuit, etiam ſi voluit, omnium comminiſci: malè ergo de rebus potiſſimis, & antiquiſſimis ageretur, ſi ſolo ſilentio Plinij de medio tollerentur. Multa prætereà Plinianam ætatem anteiuerunt, & eo adhuc florente, perquàm opportuno mortalium commodo, vſuque non extra laudem, & pretium habebantur; quæ tamen Vir ſummus, vel ſcriptionis tædio,

vel

vel memoriæ imbecillitate, properante calamo, tacuit. Non libet referre ſingula. Sanè temporibus Plinij, Chartarum plures ſpecies nè longè à materia diuagemur, quas ille haud recenſuit, fuerunt. Palimpſeſti, Chartæque deletitiæ meminit Cicero ad Trebatium lib. 7. Epiſtolar. & Suetonius in Auguſto: Chartarum maiorum, & Librorum Elephantinorum Martialis in Apophoretis, & Flauius Vopiſcus in Tacito Imperatore. Annon ergo ridiculus haberetur, ſi quis, vel ſolo ſilentio Plinij, & Palimpſeſtum, & Chartam deletitiam, & Chartas maiores, & Libros Elephantinos eo æuo in vſu non fuiſſe argutaretur? Verum itaque eſt de Chartis linteis Plinium mentionem non feciſſe; attamen non inde euidenter colligitur, eas, ſcribente Plinio, nondum fuiſſe: cui id fuit conſilium, de Plantis, & Aegyptijs potiſſimùm, ſermonem inſtituenti, de Papyro, planta Aegyptia, ſermonem inducere; ideòque plantæ occaſione, de Papyro etiam, quæ ex illa texebatur, verba fecit; cùm priùs ex Varrone varias ſcriptionis materias enume-

raſſet. Hinc Papyri tantùm conficiendi rationem, non Pergamenæ, non huiuſce Linteæ, nec aliarum expoſuit.

LVII. In pauca conferam reſponſionem. Hoc enim ipſum, & quod agitur, conſiderans, dico non probè prædictis rationibus tam firmæ de Chartis linteis dubitationi ſatisfieri; cum Plinio enim, qui de ijs ſiluit, reliquos etiam Scriptores accuratos, & quàm diligentiſſimos rerum inueſtigatores coniungere neceſſe eſt; Quare argumentum ita efformo; De Charta lintea altum eſt apud Plinium, aliosque Auctores ſilentium, nec veſtigium illius vſquam apparet; ergo tempore Plinij non fuit. Neque enim fieri potuit, vt tot Auctores varijs linguis, atque in varijs Orbis partibus, alio, atque alio tempore ſcribentes, illius, cùm aliarum Chartarum ſępiſſimè mentionem fecerint, obliuiſcerentur. Nulli deinceps dubium eſt, in tractatione de Arboribus, & ipſa Papyro, occaſione arrepta, vti in alijs ab eo etiam fieri videmus, Plinium omnes Chartarum ſpecies tradidiſſe, ne poſteà in eundem ſermo-

nem ſæpiùs incidere cogeretur. Et hanc Plinij fuiſſe mentem, à nullo alio, præterquam ab ipſo Plinio, teſtimonium ſumam: ipſe ſiquidem, qui Libros Operis in Capita ſubdiuiſit, & compendio, Capitum argumenta complexus eſt, Capiti illam tantùm ſummam præfixit; *De generibus Chartarum, & quomodo Chartæ fiant, & de Chartarum probatione, & vitijs, & glutino earum*. Capitis titulum non ab alijs, ſed ab ipſo Plinio concinnatum comprobat Liber primus, quem ille Operi præpoſuit, Præfat. ad Titum Veſpaſianum: *Quid ſingulis contineatur Libris, huic Epiſtolæ ſubiunxi*. Quis ergo Plinianæ ſententiæ Plinio accuratior erit interpres? Plinius ſe de Chartarum generibus tractaturum fatetur, & alius neſcio quis, tantùm eum de Papyro tractationem in animo habuiſſe contendet? Nolo Pliniani ſcopi alium fide digniorem interpretem. Egit ergo non de Papyro tantùm, ſed de alijs etiam Chartarum generibus, quas ille, ſiue ex ſe, ſiue ex Varrone, enumerat; in quibus ait ante, & poſt Papyrum inuentum ſcriptitatum fuiſſe.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

LVIII. Sed qui de generibus egit, quanam ratione de Palimpſeſto, & Libris Elephantinis, in quibus etiam ſcriptitatum eſt, ne verbum quidem fecit? Quamuis id extra cauſam non ſit, percurram tamen breui; inquiramque priùs, quid ille Palimpſeſtus ſit, ſiue Palinxeſtus, vel, vt alij enunciant, Palinxyſtus, cuius meminit Catullus ad Varrum:

*Puto eſſe ego illi millia, aut decem, aut plura*
*Perſcripta: nec ſic, vt fit, in Palimpſeſto*
*Relata; Chartæ regiæ, noui libri*, &c.

Cicero ad Trebatium lib. 7. Ep. *Nam quod in Palinxeſtum*, &c. Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας. Οἱ δὲ ἀποκναίουσι δήπου τὰ ὦτα ταῖς ταυτολογίαις, ὥσπερ παλίμψηστα διομαλαυόντες. *Quidam verò offendunt aures eorumdem verborum iterationibus, non aliter, quàm Palimpſeſta exæquantes*, vel, vt alij legunt, neque impropriè, διαμολύνοντες *contaminantes*, & in Lib. qui inſcribitur, ὅτι κάλλιστα τοῖς ἡγεμόσι χρὴ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι.

θαι. ἀλλ' εὗρε τὸν Διονύσιον, ὥσπερ βιβλίον παλίμψηστον. *Sed inuenit Dionyſium tamquam Librum palimpſeſtum*. Id quomodocumque enuncietur, nonniſi, ψάω, vel ξέω, vel ξύω originem habet, quæ inferunt, *rado, abſtergo, æquo, complano, dolo*, & ſimilia. Quid tandem eſſet, quod radebatur, ſine controuerſia confidenter dicunt (nolo enim in me diſputationem ſuſcipere) in rebus antiquis exponendis oculatiſſimi Viri, Paulus Leopardus, Emend. lib. 13. ca. 116. Adrianus Turnebus, Aduerſar. lib. 25. cap. 22. Budæus de Aſſe lib. 2. Matthias Martinius, in Lexico Philologico; Iunius, in Adagijs; & alij. Hi tradunt, Palimpſeſtum fuiſſe membranam, ſeu tabulam, ſeu papyrum ipſum, ex quibus ſcripta abradi, deleri, ſeu detergi ſueuerant, vt aliquid rurſus in ijſdem ſcriberetur. Franciſcus Robortellus, Diſput. de art. corrig. antiq. libros, de membrana ſermonem habens, *& illa eſt*, inquit, *quam Catullus* regiam *vocat. eradi hæc ſolita interdum, & palimpſeſtus dicta à re ipſa*. Ideòque Charta dele-

LVIII. Sed qui de generibus egit, quanam ratione de Palimpſeſto, & Libris Elephantinis, in quibus etiam ſcriptitatum eſt, ne verbum quidem fecit? Quamuis id extra cauſam non ſit, percurram tamen breuì; inquiramque priùs, quid ille Palimpſeſtus ſit, ſiue Palinxeſtus, vel, vt alij enunciant, Palinxyſtus, cuius meminit Catullus ad Varrum:

*Puto eſſe ego illi millia, aut decem, aut plura*
*Perſcripta: nec ſic, vt fit, in Palimpſeſto*
*Relata; Chartæ regiæ, noui libri*, &c.

Cicero ad Trebatium lib. 7. Ep. *Nam quod in Palinxeſtum*, &c. Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας. Οἱ δὲ ἀποκναίουσι δήπου τὰ ὦτα τῇ ταὐτολογίαις, ὥσπερ παλίμψηστα διομαλαύνοντες. *Quidam verò offendunt aures eorumdem verborum iterationibus, non aliter, quàm Palimpſeſta exæquantes*, vel, vt alij legunt, neque improprie, διαμολύνοντες *contaminantes*, & in Lib. qui inſcribitur, ὅτι μάλιστα τοῖς ἡγεμόσι χρὴ τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι.

ϑαι. ἀλλ' εὗρε τὸν Διονύσιον, ὥσπερ βιβλίον παλίμψηστον. *Sed inuenit Dionyſium tamquam Librum palimpſeſtum*. Id quomodocumque enuncietur, nonniſi, ψάω, vel ξέω, vel ξύω originem habet, quæ inferunt, *rado, abſtergo, æquo, complano, dolo*, & ſimilia. Quid tandem eſſet, quod radebatur, ſine controuerſia confidenter dicunt (nolo enim in me diſputationem ſuſcipere) in rebus antiquis exponendis oculatiſſimi Viri, Paulus Leopardus, Emend.lib.13.ca.116. Adrianus Turnebus, Aduerſar.lib.25. cap.22. Budæus de Aſſe lib.2. Matthias Martinius, in Lexico Philologico; Iunius, in Adagijs; & alij. Hi tradunt, Palimpſeſtum fuiſſe membranam, ſeu tabulam, ſeu papyrum ipſum, ex quibus ſcripta abradi, deleri, ſeu detergi ſueuerant, vt aliquid rurſus in iiſdem ſcriberetur. Franciſcus Robortellus, Diſput.de art.corrig.antiq. libros, de membrana ſermonem habens, *& illa eſt*, inquit, *quam Catullus regiam vocat. eradi hæc ſolita interdum, & palimpſeſtus dicta à re ipſa*. Ideòque Charta dele-

titia-dicebatur, & Tabella deletilis; quemadmodum eſt Abacus calculatorum, vt Martialis verbum vſurpem, & per totam ferè Græciam Tabulæ Puerorum pro primis elementis addiſcendis; in quibus poſtquam à Magiſtro exarata didicerint, vitro ſcripta eraduntur; aliaque rurſus deſcribuntur; & ſic multoties fieri conſueuit, quoad Puer aptus ad editos Libros pertractandos iudicatus fuerit. Dicebatur etiam Papyrus ipſa deletilis, in qua aliquid ſcribebatur, quod poſteà in aliam Chartam transferebatur; Idque poſtquam factum fuiſſet; è Palimpſeſto dicebantur deleri, vbi poſtmodum rurſus alia inducebantur. Quintilianus præterea Ceras deletitias nobis inſinuauit lib. 10. cap. 3. *Illa quoque minora non ſunt tranſeunda, ſcribi optimè ceris, in quibus facillima eſt ratio delendi*. Prudentius:

*Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur,*
*Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti*
*Rurſus niteſcens innouatur area.*
*Sæpe ſtylum vertas, iterum, quæ digna legi ſunt,*

*Scriptu-*

*Scripturus*, &c. Eſt Sympoſij Aenigma de Stylo, qui in his Ceris adhibebatur:

*De ſummo planus, ſed non ego planus in imo,*
*Verſor vtrinque manu, diuerſo ac munere fungor:*
*Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit:*
*Inde alij ſtimulos, & acumina ferrea vibrant.*

Membranam verò eas, Ceras fuiſſe, apertiſſimè docet Martialis lib.14.

*Eſſe puta ceras, licet hæc membrana vocetur;*
*Delebis, quoties ſcripta nouare voles.*

Et ante Martialem Horatius de Arte Poëtica:

*Membranis intus poſitis delere licebit,*
*Quod non edideris.*

Ex membrana enim Pugillares fiebant, vt non ſecus, quàm ex tabella ſcripta deleri poſſent; vt adnotauit Domitius Calderinus. Hinc concluditur, deletitiam illam chartam non fuiſſe, ſicuti iſtam, quæ nunc fit, vt aiunt, ex corio aſinino cretato, gy-

pſatoque, cuius deletiles membranæ, quæ paſſim væneunt, vel vna pagina, vel pluribus, & ſæpiſſimè etiam ad modum libri compactæ ſpectantur; in quibus ſtylo, vel atramento ſcribitur, & ſputo, vel aqua, ſcripta deterguntur, adeò vt ne ſignum remaneat priſtinæ ſcriptionis; ſintque ad nouam ſcriptionem ſemper aptiſſimæ.

LIX. Verùm enim verò membranas has noſtras deletiles, vel quid ſimile, Palimpſeſtum fuiſſe nonnemo teſtimonio Suetonij in Auguſto confirmabit; *Nam Tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo, aboleuit: quærentibus amicis, quidnam Aiax ageret, reſpondit, Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.* Et Macrobij Saturnal. lib. 2. cap. 4. *Aiacem Tragœdiam ſcripſerat Auguſtus, eandemque, quod diſplicuiſſet, deleuerat: poſteà Lucius, grauis Tragœdiarum ſcriptor, interrogabat eum, quid ageret Aiax ſuus? & ille, in ſpongiã, inquit, incubuit.* Et ex Ioanne Lydo Maximus Planudas in Collectaneis. Αὔγουστος τὸν τοῦ Σοφοκλέους Αἴαντα εἰς τὴν πάτριον φωνὴν μετήνεγκεν. εἶτα ἀκ-

ἀκμαζούσης αὐτῷ μετὰ τὴν πραγματικὴν καὶ τῆς ἐκ λόγων ἀρετῆς, ὡς ἀναξίαν ἐκ παραβολῆς πρὸς Σοφοκλέα τὴν ἑαυτοῦ διεγίνωσκε τραγῳδίαν, ταύτην ἐξάλειψεν. εἶτα ἐρωτηθεὶς πρὸς τοῦ Κικέρωνος, παρ' ᾧ μετὰ σπουδῆς ἐπαιδεύετο, ποῦ τυγχάνοι ὁ γραφόμενος Αἴας; αὐτὸν ἀστείως ἅμα καὶ νουνεχῶς ἀποκείνασθαι, σπόγγῳ τὸν ἑαυτοῦ Αἴαντα καθάπερ σιδήρῳ τῷ τοῦ Σοφοκλέους ἐπιπεσεῖν. *Auguſtus Sophoclis Aiacem patriæ dedit loquelæ; verumtamen cùm non tantùm rebus agendis, ſed eloquentia polleret, ac dicendi vi, cum Sophocleia comparans propriam Tragœdiam, vt indignam neglexit, deleuitque. Poſtmodum à Cicerone, apud quem rei literariæ impensè operam nauabat, interrogatus, quid ab eo ſcriptus Aiax ageret? non illepidè, neque imprudenter, in ſpongiam, reſpondit, Aiacem ſuum, quemadmodum in ferrum Sophocleium, incubuiſſe.* Ad abſtergendam enim ſcripturam veteres ſpongia vtebantur. Suetonius in Caligula cap. 20. *Eos autem, qui ma-*

*ximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongia, linguaue delere iuſſos, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Martialis lib. 4. Epigram. 10.

*Curre, ſed inſtructus; comitetur Punica librum*
*Spongia: muneribus conuenit illa meis.*
*Non poſſunt noſtros multæ, Fauſtine, lituræ*
*Emendare iocos, vna litura poteſt.*

Auſonius: *Poëticæ ſcabiei quoniam facile contagium eſt, vtinam quoque ad te prurigo commigret, vt fuco tuæ emendationis adiecto, impingas ſpongiam.* Florilegium lib. 6. Artis ſuæ inſtrumenta Scriptor Mercurio his verſibus dicat:

Καὶ βυθίην Τρίτωνος ἁλιπλάγκτοιο χαμεύνην,
Σπόγγον ἀκεσορίην πλαζομένης γραφίδος.

*Vndiuagique thorum Tritonis ſpongiam in alto*
*Decerptam, errantis quæ medicina ſtyli eſt.*

Hinc fluxit prouerbium; *Spongia cu-*

*curare , ſeu emendare* . Ariſtides ; εἰ τι γάρ τι ἡμῖν λελήρηται, οὐδὲν δεῖ τῆς Στησιχόρου παλινῳδίας, ἀλλὰ σπόγγος ἰάσεται. *Quòd ſi quid nugati ſumus , nil opus fuerit Steſichori palinodia; nimirum abundè medebitur ſpongia* . Quare adnotauit Turnebus Aduerſar.lib.6.cap.23.&Cuiacius lib.13. Obſeruat.cap.13. ab optimis quibuſque Scriptoribus pro *delere*, dictum eſſe; *Spongia effingere* . Cicero pro Seſtio; *Spongia ſanguinem effingi*. Cato; *Fiſcinas ſpongia effingat* . Apuleius; *Vulnus ſpongia effingens* . Lucius lib. 39. *In domo ſpongijs effingi ſolent*. Inducta verò ſpongia corrigere ſcripta , ni charta , ſeu membrana gypſo , cretaque obducatur, qualis eſt illa flaua noſtrorum pugillarium , haud commodè fieri poteſt ; & præcipuè *digito* , quod ait Cicero pro Cluentio . Ergo Palimpſeſtus antiquorum , ſeu Charta deletilis , non alia fuit , quàm hæc noſtra deletilis .

LX. Vt mittam quidquid alij de Spongiarum apud antiquos vſu multiplici congerunt , Marcellus Donatus in Suetonij cap.85. dictum Augu-

ſti

ſti, præter allatam explicationem, dupliciter etiam exponi poſſe dicit: primò ſcilicet Auguſtum ipſum, Aiacem Tragœdiam ad eam vſque partem perfeciſſe, in qua Aiax ſibimet mortem conſciuit: Gladiatores ſiquidem ad ſiccandum ſibi vulnerum ſanguinem, ſpongias geſtabant; quod ex Tertulliano docuerat etiam Turnebus Aduerſar.lib.18.cap.43. *Poterit*, ait Tertullianus, *de miſericordia moueri defixus in morſus Vrſorum, & ſpongias Rudiariorum*. Secundò, cùm in Hiſtorijs compertum ſit, Milites ſpongijs pectus munijſſe, vt percuſſionibus, & ictibus minùs offenderentur; in quem morem Liuius lib.9.ſcribit, Samnites, inter cætera munimenta corporis, ſpongiam pectori tegumentum habuiſſe; hoc vſu ſpongiæ in bello, *Aiax incumbit in ſpongiam*, eſſe ait, ac ſi dicat, iam eſt parata Tragœdia, & munita ad recipiendos maledicorum, & cenſorum ictus minori cum offenſa. Sed quoniam vel ipſi Donato hæc minùs placent, potiorque illi videtur expoſitio de Spongia deletili in Charta deletitia; nos itidem alterius interpretatio-

tionem proferamus. Gaſpar de Simeonibus acutiſſimi Vir ingenij, & grauioribus, diſciplinis inſtructiſſimus, & eloquentia, atque eruditione præſtantiſſimus, Aiacem Auguſti in ſpongiam incubuiſſe ait, cùm, parata ab Auguſto ſpongia atramento imbuta, more tum ſcribentium, atque, inter emendandum, identidem ſcripta delentium, (neque enim ſemper deletitia charta conſcribentes vtebantur) Aiax in eam incubuerat, hoc eſt, totus, atque integer ab ipſo fuerat deletus: idque ad Suetonij mentem eſſe ait, qui Tragœdiam illam ab Auguſto, non ſuccedente ſtylo, abolitam eſſe apertè affirmat. Scribentibus verò ſpongiam atramento madidam fuiſſe ad manum, vt quotieſcumque non placerent, quæ ſcripſiſſent, atramento inducto delerent; idem ipſe, ne commentitia dicere videatur, teſtibus probat non illaudatis; Terentio Varrone in Modio;

*Sed, ò Petrulle, ne meum taxis Librum;*
*Si te pepugit hic modò ſcenatilis:*
*Sin diſplicebit tam tibi latum mare,*

*Tan-*

*Tantùm parato ſpongiam deletilem.*

Cùm verò Librum ſuum Varro ſpongia deleri poſſe dicat, cùmque Libri ipſi non in Charta deletitia ſcripti ederentur, is proindè non aliter, quàm ſuperinducto ſpongię atramento, deleri potuit. Item & Auſonio ad Theonem;

*Aut cunctis pariter verſibus oblinat*

*Fuluam lacticolor ſpongia ſepiam.*

Spongia candida, atramentum verſibus oblinens, non literas tantùm abolet, vt in Charta deletitia, ſed Chartam ipſam inficit, atque obſcurat: aliter Chartæ omnes fuerint deletitiæ, cùm omnes atramento obliniri poſſint: vt pateat non de ſpongia, quæ in Charta deletitia adhibebatur, hìc intellexiſſe Auſonium. Hæc ad eum Suetonij locum aptiſſima Gaſparis ſententia. Chartam maiorem, & minorem papyraceam fuiſſe, ſed quantitate tantùm, & longitudine diuerſam, ante nos fusè demonſtrarunt in Martialem Viri eruditi, & Henricus Salmuthius in Pancirolum libro 2. tit. 13. quorum di-

dicta, ne nimius ſim, hîc libens prætereo.

LXI. Reſtat, vt de Elephantinis Libris aliquid quoque diſſeramus. Et primùm, reiecta ſententia Scaligeri, qui Libros Elephantinos ex Elephantum omentis eſſe vult, teſtimonio Iſidori, qui Hiſtorias maiori modulo ſcribi ſolitas refert, non tantùm in charta, aut membranis, ſed etiam omentis Elephantinis: necnon exploſo commento, qui Libros Elephantinos dictos autumant ab operis amplitudine, quaſi Elephantorum proceritas nominis anſam illis dederit; dicimus cum Caſaubono, Salmaſio in Flauij Vopiſci Tacitum, Guillandino de Papyro, Radero in Mart. lib.14.Epigram.5.Salmuthio in Pancirol.lib.2.titul.13. Carrione libro 2. Emendationum cap.6. Tabulas eboreas fuiſſe, ab elephanto, qui idem cum ebore eſt, denominatas; ſiue pugillares eburneos, ex materia, qua conſtabant, pretioſiſſimos. Quod adeò certum eſt, vt qui id negare paratus ſit, eum id fruſtra omninò agere, conetur oſtendere, ex Martialis diſticho in Apophoretis, Salmaſius.

Ebo-

Eboreorum, vel eburneorum pugillarium meminit Symmachus libro 2. Epiſt. 81. *Cæteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & Caniſtellis argenteis honoraui*. & lib. 4. Epiſt. 34. Nanque cùm vetus deſijſſet conſuetudo, vt S. C. in æs inciſa referrentur in ærarium, Libris Elephantinis ſcribi cœpta ſunt. Vopiſcus in Tacitum; *At ne quis Græcorum alicui, vel Latinorum exiſtimet temerè credidiſſe, habet Bibliotheca Vlpia in armario ſexto Librum Elephantinum, in quo S. C. præſcriptum eſt, cui Tacitus ipſe manu ſua ſubſcripſit. Nam diu hæc S. C. quæ ad Princeps pertinebant, in Libris Elephantinis ſcribebantur*. idque honorificentiæ cauſa factum eſt. Eorum tamen vſum multò antiquiorem facit Pomponius in l. 2. de Orig. Iuris, qui refert, Duodecim Tabularum leges in tabulis eboreis perſcriptas, Romæ pro roſtris expoſitas fuiſſe. Obſeruat prætereà Franciſcus Iuretus, licentiam Quæſtorum Candidatorum, qui dono dabant eburnea pugillaria, reſtrictam fuiſſe Conſtit. Valentini, Theodoſij, & Arcadij; qui vetuerunt, ne cui facul-

cultas eſſet dandi dypticha ex ebore, exceptis Conſulibus ordinarijs;cæteris enim aliam materiam eſſe debere; l. 1. de expenſ. lud. C. Theodoſ. eoque ſpectare verſus Claudiani Tribuni Notarij lib. 3. de laudibus Stiliconis:

*Tum virides Pardos, & cætera colligit Auſtri.*
*Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,*
*Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,*
*Inſcripti rutilum, cœlato Conſule, nomen,*
*Per proceres, vt vulgus eunt. Stupor omnibus Indis*
*Plurimus, ereptis Elephas inglorius errat*
*Dentibus.*

LXII. His itaque ſic expoſitis, dicimus, Plinium in eo Capite, ſiue ex ſe, ſiue ex Varrone, eas tantùm Chartarum ſpecies enumeraſſe, quæ ab vſitata ſcribendi conſuetudine non recedebant, non autem eas,quæ ex libidine cuiuſque pendebant: quare non erat operæpretium neque Chartæ delêtitiæ,in qua potiùs deſcri-

bi-

bitur, quàm ſcribitur, neque Librorum Elephantinorum meminiſſe, in quibus raro, & ab Imperatoribus, aut alijs in dignitate cōſtituris Viris ſcribebatur, ea ratione, qua & in Sapphiro, & in alijs Lapidibus pretioſis ſui animi ſenſa inſculpere poterant, ſi libuiſſet. Sed quid hoc ad Chartam, qua omnes abſque vllo delectu vti poſſunt? Idque facilè animaduertimus ex eodem Plinio, qui alibi in hoc eodem Opere, aliarum materiarum, in quibus ſcriptum aliquando eſt, mentionem facit; quas tamen in hoc Capite, tamquam minùs vſitatas, prætererat. Nanque lib. 36. cap. 8. tradit, Regem Ægyptium Mitrem in Obeliſco duriſſimi lapidis literas Ægyptias inſculpſiſſe. Tum lib. 34. cap. 9. *Vſus æris ad perpetuitatem monumentorum iampridem tranſlatus eſt, tabulis æreis, in quibus publicæ conſtitutiones inciduntur.* &c. Et ante Plinium Sophocles in Trachinijs, ἀλλ᾽ ἐσωζόμην χαλκῆς ὅπως δύσνιπτον ἐκ δέλτου γραφήν. *Sed omnia, velut ſculptam in ærea tabula, quæ difficilè poteſt deleri, le-*
gem

*gem, ſeruaui*. Idem Plinius Libro 7. cap. 52. *Apud Babylonios*, DCCXX. *annorum, obſeruationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas*, ex Epigene, graui in primis Auctore refert. Et libro 16. cap. 35. ſcribit, è Smilace fieri Codicillos: cùm tamen in hoc Capite nulla Obeliſcorum, nulla Æris, nulla Laterculorum coctilium, nulla Smilacis mentio habeatur.

LXIII. Sed qua tandem fronte aſſeuerabimus Plinium, & Deletitiam Chartam, & Elephantinos Libros in hisCapitibus ſilentio tranſiiſſe? Agit hic de generibus Chartarum Plinius: Annon ſatis, abundèque feciſſe dicendus eſt, ſi, ſummis eorum generibus expoſitis, quæ ſub illis generibus continentur, neque enim minutiſſima quæque recenſere cogebatur, prætereat? Deletitia ex Membrana fit, & cùm Chartam ex Membrana confici aſſerat, Deletitiam quoque includit: ea enim & corium, & quidquid aliud ex pellibus Animalium, literis obſignatur, ſignificat. Corium verò à Membrana diuerſum fuiſſe (quidquid alij dicant)

cant ) qui manuſcripta Volumina euoluunt, paſſim ſine vlla hæſitatione fatentur. Membrana ſiquidem, pilis abraſis, vel calce, aut alia temperatura amiſſis, & interiore parte, qua carnem operit, in ſubtiliſſima folia tenuata, multùm à corio differt; quod, vti eſt ab animalibus extractum, cum mole illa fungoſa, pilis tantùm detractis ea parte, qua pilos excuſſit, literas accipit. Ex Corio Volumina non in Italiæ tantùm, ſed Græciæ, ac Germaniæ Bibliothecis, characteribus potiſſimùm Hebraicis ſine punctis exarata, quæ antiquiſſima eſſe cenſebantur, conſpexi, & attentiùs conſideraui, rudem indigeſtamque molem, vt ita dicam, admiratus. Et, ne longiùs abeam, in Vaticana Bibliotheca aliqui Veteris Teſtamenti Libri in ſimili Corio, & ſcriptura Hebraica, duobus Voluminibus, volenti patent. Coria nullo glutine, ſed filo tantùm conſuuntur. Quidquid ergo animantia tegit, quomodolibet ſit temperatum, membranæ nobis vicem occupat, & membrana, quod eſt quoddam Chartæ membraneæ genus, à Plinio appellatur.

Pa-

Pari ratione, ſub Pugillarium nomine, omnes, ſiue duplices illi ſint, ſiue triplices, ſiue quintuplices, ſiue ex quauis materia citrei, oſſei, lignei, membranei, & potiſſimùm, veluti honorificentiores, eburnei, continentur. Martialis libro 4. Epigram.5.

*Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,*
*Nigra tibi niueum litera pingat ebur.*

Et hi Pugillares eburnei, ſunt Libri Elephantini, quos à nonnullis à Plinio prætermiſſos dici, valde equidem miror.

Grauiſſimum ergo, atque firmiſſimum argumentum erit, pro recentiori Chartæ Linteæ inuento, Plinius tacuit, & cum eo omnes reliqui Scriptores, qui minutiſſima quæque proſecuti ſunt, ergo eorum æuo non fuit. Quomodo enim, cùm ſæpiſſimè alia Chartarum genera plenis buccis proclamaſſent, Linteam Chartam præterijſſent?

LXIV. In Papyro autem non anta, ſed ſolùm poſt Plinij etiam ætatẽ ſcriptitatum fuiſſe, habeo ex Dioſcoride lib.1, cap. 116. Πάπυρος γνώριμος ἐϛὶ πα-

πᾶσιν, ἀφ' ἧς ὁ χάρτης κατασκευάζεται.
*Papyrus nota eſt omnibus, ex qua Charta conficitur*. Si ex alia quoque materia tum Charta conficeretur, fruſtra articulus Chartæ adderetur; vel omnino addidiſſet, *Etiam*. Si iam papyracea, noua ſuperinducta, deſijſſet, malè locutus fuiſſet; neque enim *conficitur*, ſed *conficiebatur* dixiſſet. Apuleius initio de Aſino, Lectorem admonet, ſi fabellis varijs,ſuſurroque lepido relaxare animum optat, *ne Papyrum Aegyptiam, Nilotico calamo inſcriptam, faſtidiat:* ſcripſerat ſcilicet Libellos illos in Papyro. Symmachus lib. 3. Epiſt. 12. *Ipſa etiam verba meliùs ex oris fontibus fluunt, quàm mandantur textis Papyri*: lib.4. Epiſtol. 28. *Nobis idem ſit linguæ modus, qui fortunæ eſt. Mallem Aboriginum more dictionem ſalutis æternæ ligno, aut corticibus ſcribere; Aegyptus papyri volumina Bibliothecis, foroque texuerit*. Et Epiſt.38. *Mandari enim peritura chartæ Epiſtolas quereris, & allegaſti ſacramento enorme iudicium: itane de me ludos facis, vt quæ apud te incurioſiùs loquor, in ſtyli caudices,*
aut

*aut tiliæ pugillares cenſeas transferenda, ne facilis ſenectus papyri ſcripta corrumpat?* Martianus Capella de Philologiæ nuptijs lib.2. materiam, ex qua Libri in Bibliotheca illa aſſeruabantur, enarrans, *Cernere erat,* inquit, *qui Libri, quantaque Volumina, quot linguarum Opera ex ore Virginis defluebant. Alia ex Papyro, quæ cedro perlita fuerant, videbantur. Alij carbaſinis voluminibus implicati libri: ex ouillis multi quoque tergoribus. Rari verò in cortice philyræ ſubnotati.* Si ex linteis Charta, vſu iam ſuo, vileſcebat, pleraque antiquitatis monumenta in ea conſcripta eſſe debuerant: ſi rara admodum, ſui tamen raritate erat expetenda; &, quodde cortice philyræ adnotauerat, id etiam de lintea adnotaſſet. At nullam Linteorum Librorum in tam neceſſario, & opportuno loco mentionem induxit, quòd de rebus ſibi ignotis, & poſtmodum futuris loqui non poterat.

LXV. Caſſiodorus lib.11. Epiſt. 38. ad Ioannem Canonicarium, Tuſciæ Præfectum, Chartam ſui æui

deſcribens, non aliam, quàm papyraceam expreſſit. Verba hic ex ea Epiſtola eò libentiùs exſcribam, quòd videam nonnullos eo teſtimonio, ſed oſcitanter nimis, Chartam ex linteis demonſtrare conatos: quãdoquidem, aiunt, de Lintea locutus eſt, cuius tunc in Etruria maxima copia erat; ideòque Præfecto imponit, vt ex ea in tanta abundantia Archiuis Regis prouideret. Sed verba ipſa conſideremus: *Pulchrum planè opus Memphis ingenioſa concepit, vt vniuerſa ſcrinia veſtiret, quod vnius loci labor elegans texuiſſet. Surgit Nilotica Sylua ſine ramis, nemus ſine frondibus, aquarum ſeges, paludum pulchra cæſaries, virgultis mollior, herbis durior, neſcio qua vacuitate plena, plenitudine vacua, bibula teneritudine ſpongeum lignum, cui more pomi robur in cortice eſt, mollicies in medullis, proceritas leuis, ſed ipſa ſe continens, fœdæ inundationis pulcherrimus fructus. Nam quid tale in qualibet cultura naſcitur, quàm illud, vbi prudentum ſenſa ſeruantur? Periclitabantur ante hoc dicta ſapientum, cogitata maiorum.*

*Nam*

*Nam quemadmodum velociter potuiſſet ſcribi, quod repugnante duritia corticis vix poterat expediri? Ineptas nimirum moras calor animi ſuſtinebat; & cùm differebantur verba, tepeſcere cogebantur ingenia. Hinc & priſcorum Opuſcula Libros appellauit antiquitas. Nam hodie quoque librum, virentis ligni vocitamus exuuias. Erat indecorum, fateor, doctos ſermones committere tabulis impolitis, & in veternoſis ramalibus imprimere, quod ſenſualis poterat elegantia reperire. Grauatis manibus, paucis memoriam commonebat, nec inuitabatur plura dicere, cui ſe talis pagina videbatur offerre. ſed hoc primordijs conſentaneum fuit; quoniam rude principium tale debuit habere commentum, quod prouocaret ingenia ſequentium. Inuitatrix pulchritudo chartarum affluenter dicitur, vbi exceptionis ſubtrahi materia non timetur. Hæc enim tergo niueo aperit eloquentibus campum, copioſa ſemper aſſiſtit: & quò fiat habilis, in ſe reuoluta colligitur, dum magnis tractatibus explicetur. Iunctura ſine rimis, continuitas de minutijs, viſcera niuea vi-*

*rentum herbarum, ſcripturabilis facies, quæ nigredinem ſuſcipit ad decorē.* &c. reliqua etiam eiuſdem Epiſtolę attentiùs conſideranda ſunt.

LXVI. Quid hic clariùs? quid de Papyro aptiùs expreſſeris? *Memphis concepit.* Ægyptia res eſt, apud Ægyptios ſemen illius conceptum excluditur. Lucanus lib.3. de Bello ciuili; *Nondum flumineas Memphis contexere biblos*, &c. Plinius; *Papyrum naſcitur in paluſtribus Aegypti.* &, *Labor elegans texuiſſet*: Ex Papyri quippe philyris acu exciſis, & ſimul iunctis tanquam ſtamine, & ſtatumine compaginabatur, quemadmodū, & tela fit ex pluribus filis. Extendebantur enim papyri philyræ in aliqua tabula; hinc obliniebantur glutino; ſi in Ægypto texebantur, aqua Nili turbida; ſi Romæ, vel alijs partibus, pollinis flore, feruente aqua temperato, minimo aceti aſperſu; deinceps aliæ philyræ tranſuerſæ ſuperponebantur ad modum cratis; tandem malleo tenuata, glutino percurrebatur, iterumque conſtricta erugabatur, atque extendebatur malleo: in hoc à tela diuerſa, quòd in ea fila

im-

implicarentur, & mutuo amplexu veluti nodo conſtringerentur; in papyro verò ſtamen ſuper ſtatumen extenderetur. philuris enim rectis philuræ ſuperimponebantur aduerſæ. Hinc Papyrus texi dicebatur. Plinius; *Texuntur omnes tabulæ madentes Nili aqua*. &, *Alius igitur iterum texendis labor*. Modò allatus Lucani locus; *Nondum flumineas Memphis contexere biblos Nouerat*. Symmachus; *Aegyptus papyri volumina texuerit*. &, *texta papyri* apud eundem. *Surgit Nilotica Sylua*: Martialis in principio Xeniorum, *Perdite Niliacas Muſæ mea damna Papyros*. Naſcitur enim in quieſcentibus Nili aquis, vbi, euagatæ, ſtagnant. Auſonius Epiſt. 4. ad Theonem; *Cùm tibi Cadmi nigellas filias, Melonis albam paginam, Notaſque furuæ Sepiæ, Cnidioſque nodos prodidit*. Et Symmachus ad Auſonium lib. 1. Epiſt. 8. Moſellam Ægyptio *Melone maiorem* nuncupat. Nam Melo olim pro Nilo poſitus. Teſtes ſunt Feſtus Pompeius in *Alcedo*, & in *Alumento*. Iſidorus lib. 3. cap. 22. nec diſſentit Seruius in lib. 4. Georgic.

& 1. Æneidos. vbi tradit Ennium dixiſſe, Melonem Latinis vocatum, qui Nilus à Græcis. quamuis Plutarchus de Fluminibus, non Melonem, ſed Melam dictum afferat. ſequitur; *Sylua ſine ramis, nemus ſine frondibus*. Plinius; *Semine nullo, aut vſu eius alio, quàm floris, ad Deos coronandos*. Præter enim florem, nulli Papyro rami, nullæ frondes ſunt. Qua de re vide Theophraſtum, Dioſcoridē, Strabonem, & alios. Quæ ſequuntur in Caſſiodoro, Papyri nobis notas, veluti penicillo, deſcribunt. Quid hic eſt, vt cætera prætercam, in tanta rerum copia cum Charta ex Linteis commune? An linum Memphis concipit ſola? quamuis id quoque non me lateat, linum optimum Ægyptum producere. Quænam hæc fuerit Nilotica Sylua ſine ramis, & frondibus? Num contrita, macerataque Lintea, quæ an vnquam fuerint, vix dignoſcuntur, contexi dicuntur? *Viſcera niuea virentum herbarum*. Diſpeream, ſi in tota antiquitate Chartam Papyraceam aptiùs, conuenientiùſque Caſſiodoro alius expreſſit; tantùm abeſt, vt eum de Charta Lin-

Lintea locutum, vel perſomnium exiſtimemus. Nec multò Caſſiodoro antiquor Nilus Monachus, Chryſoſtomi diſcipulus, vt rem finiam; Niloticam nobis ad amuſſim, qualem & Plinius, Papyrum repræſentat, in Epiſtolis nondum editis, Epiſtola ad Philippum Scholaſticum; ea eſt: Ἐκ παπύρου, καὶ κόλλης χάρτης κατασκευασθεὶς, χάρτης ψιλὸς καλεῖται, ἐπὰν δὲ ὑπογραφὴν δέξηται Βασιλέως, δῆλον, ὡς ΣΑΚΡΑ ὀνομάζεται. *Ex Papyro, & colla Charta præparata, Charta quidem, ſed nuda dicitur: aſt vbi ſub ſcriptione Regis communitur, SACRA, vt manifeſtum eſt, nuncupatur*. Charta, in qua non tantùm priuati homines, ſed Reges etiam ipſi ſcribunt, nonniſi ex papyro, & colla conficitur; quæ licet eadem ſit, ſubſcriptione tamen nomen mutat, & in SACRAM abit. Charta ergo tunc temporis ex papyro, & colla præparabatur. ea de noſtra haud dici poſſunt. Licet enim Charta noſtra Papyrus quoque, ita vſu ferente, dicatur, nunquam tamen eam ex papyro fieri, niſi inſani-

re velimus, dicimus. Quis enim lintea fruſta, eaque macerata Papyrum vnquam dicet?

LXVII. Si quæras. Libri Numæ, de quibus hiſtoriam ex Hemina hic Plinius transfert, in qua Charta ſcripti fuere? Breuiter, dilucidèque reſpondeo, in Papyracea: nec ambiguum hoc mihi eſt. Quærit Plinius, Quando Chartarum vſus inceperit? Reſpondet, ex Varronis ſententia, Chartam, Alexandri Magni victoria, repertam, & conditam in Ægypto. Hinc cùm varias illius ſpecies, ſiue ex ſe, ſiue ex Varrone, hoc enim incertum eſt, enumeraſſet, quæ iam non vſquequaque deſierant, ad Membranarum quoque inuentionem, quas, ſupprimente Ptolemæo Chartas, Eumenes Pergami repererat, gradum facit: & Chartæ ex papyro conficiendæ modo, & ſpeciebus exactiſſimè propoſitis, contra Varronis ſententiam, multò Alexandri magni victoria antiquiorem Chartam, argumentis ex Hiſtoria petitis demonſtrat: & potiſſimùm illi argumento ſunt Libri Numæ, quos fuiſſe è Chartà ait. Sanè ſi Libri papyracei non fuiſ-

fuiſſent, ſed ex alia materia, nihil contra Varronem infert, qui papyrum non ante Alexandri tempora fuiſſe contendebat. Vt ergo ratio Pliniana robur habeat, ita efformanda eſt; Temporibus Numæ in papyro ſcribebatur, ergo fruſtra Varro Papyrum recentiorem facit: & in papyro ſcriptitatum fuiſſe ſatis abundè demonſtrant illius Libri in papyro deſcripti. Ita quidem Varro ne hiſcere quidem auderet: Quòd ſi alia Charta à papyracea fuiſſet, Varro irridere poſſet, ac cõtemnere Plinium; dum de alia ipſe, de alia Plinius loqueretur. Illud etiam adijciam, ſi Numæ Libri erant ex Charta lintea; & poſt 535. annos effoſſi, miraculo fuere quòd tot infoſſi durauerunt annos; quamnam admirationem excitaſſent Feſulanica iſta nugamenta, poſt mille, & ſeptingentos ferè annos in terræ viſceribus incorrupta?

LXVIII. Stephanus Zamoſius, in Analectis lapidum vetuſtorum, refert cap. 3. Exemplar per quam vetuſtum integro volumine in Bibliotheca Magni Ducis Etruriæ Florentiæ extare, mirandis, & incogni-

tis Europæ literarum notis. Chartam Libri non eſſe opiſtographam, ſed aduerſa tantùm parte conſcriptam: itaque ob ſubtilitatem Papyri tranſlucere omnes literas, vt aduerſa quoque parte, non minùs quàm auerſa legi pariter queant. Non è lineis chartis, quales hodie in vſu, ſed Nilotica papyro Volumen conſtare, nec calamo eſſe exaratum, ſed typo impreſſum; vbi verſuum συστοιχίαι dependulæ ſingularibus lineis, per quęlibet interſtitia incertis, inter ſeſe diſtinguuntur. Nec fortè aliud id fuerit, quàm, quod ex Iouij Hiſtor. lib. 14. ſcribit Guillandinus, Emanuelem Luſitaniæ Regem dono miſiſſe Leoni X. Pontifici Maximo, cum Elephante; & apud Catainorum Cantam, maximam, & præclariſſimam Vrbem, fuiſſe excuſum. Si exemplar iſtud alijs ſimile eſt, quæ iam per vniuerſas Europæ partes, nàuigationis beneficio, non ita admodum rara perferuntur, & præ manibus omnium ſunt; quamuis typos apud illas gentes, multò his noſtris antiquiores verè aſſerat Zamoſius; non tamen id à me, nec ab alio, qui

acce-

aceti guttulam in pectore habeat, impetrabit, vt papyraceum ſit: Papyrus ſiquidem neque notas typis conceptas aduerſa parte reddit, neque plicatur in plagulas, vt Sinenſium Charta, ſed in volumen conuoluitur. Conſpexi multos ſimiles Libros, non tantùm Romæ, ſed alibi etiam ſæpiùs, Italiæ, Germaniæque Bibliothecas inuiſens, habeoque ipſe vnum, Gottardi Vœgelini Typographi celeberrimi munere; eum cùm attentiùs examinaſſem, quemadmodum pro certo habui, Chartam nullo modo papyraceam eſſe, ita exploratum non eſt, an ex herbis maceratis, contuſiſq; vel arborum folijs, vel corticibus conſtet; ſanè ex linteis confecta non eſt: idque color ipſe, & minutiſſima ſegmina, quibus paſſim ſcatet, & digitis excuſpuntur, integra adhuc, nec in aliam verſa formam, manifeſtò arguunt. Vidi prætereà apud eaſdem Bibliothecas Librum impreſſum in Charta, ex linteis comptiſsimè præparata, incertus an aliunde aduecta, an proprio, vel peregrino artificio compaginata, nulla in re hac noſtra inferiore,

fortè etiam candore exſuperante.

LXIX. Sed eò, vndè digreſſa eſt; ( ſi tamen ea congerere, quæ propoſitum, atque inſtitutum confirmant, & explicant, digredi eſt ) reuertatur oratio: concludamus, que optimè; & quaſi neceſſariò inferri; In Plinio, & alijs Scriptoribus, qui ſingulas alias Chartæ ſpecies obiter, aut ex profeſſo ſine vlla hæſitatione plenis buccis diuulgarunt, de Charta ex Linteis, neque verbum, neque veſtigium vſquam apparet, ergo tempore Plinij, & poſt etiam per aliqua ſæcula, Charta illa ex linteis non fuit.

At eos non eſſe oblitos nonnemo dicet: Liuius nanque lib. 4. meminit; *In tam diſcrepanti editione, & Tubero, & Macer, Libros Linteos auctores profitentur.* & antea ſcripſerat; *Nihil enim conſtat, niſi in Libros Linteos vtroque anno relaturum inter Magiſtratus Præfecti nomen.* Flauius Vopiſcus in vita Aureliani Imperatoris; *Inueni nuper in Vlpia Bibliotheca inter Linteos Libros Epiſtolam Diui Aureliani de Aureliano Principe ſcriptam.* Et ipſe Plinius ibidem, qui inter alia Chartarum ge-

genera, Lintea quoque volumina commemorat; *Poſteà publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut ceris*. tandem ad papyrum deuenit, ſui principio rarum; *Poſteà promiſcuè patuit vſus rei, qua conſtat immortalitas hominum*. His haberi Libros Linteos etiam apud Antiquos dicent.

LXX. Non nego: At Linteos Libros Chartam noſtram eſſe probati Viri non dicent: Lintei enim dicebantur, quia ex Linteis erant, in quibus ſcribebatur, quemadmodum hac ætate Pictores in eis pingunt; non quia eſſent ex Linteis contritis, iiſque maceratis confecti. Guillandinus de Papyro: *Erant verò Libri antiquorum Lintei, non quales noſtri, qui & ipſi ſine hæſitatione Lintei dicendi ſunt, ſed in telam linteam deſcripti, non aliter quàm hodie à Pictoribus, variæ imagines & inſcriptiones, ſeu telis depingi ſolent, quas & linteas vocare nihil prohibet.* Conſentit cum Guillandino, Scriptore clariſsimo, ingenio, ac diſciplinis excellentiſsimus Vincentius Noghera,

ra, in ijs, quæ in has Antiquitates ex tempore, & quaſi aliud agens inter aſsiduos morborum cruciatus, eoſque ſatis, moleſtos breuiter commentatus eſt. Illos Philoſtratus in Vita Apollonij appellat *ſindones*, in quibus Indis ſcribere mos fuit. Et Suidas in πέπλω Mineruæ, hoc eſt velo nauis Panathenaicæ, quinquennijs ſingulis ſolita ſcribi eorum omnium nomina, qui fortes bello ſe præſtiterunt, tradit. Hinc malè pro *linteis*, *luteos* in Aureliano Vopiſci Turnebus lib.29. cap.20. repoſuit; cùm & eos Marcianus Capella in Proœm. Grammat. vocet *Carbaſinos*; de quibus quoque Claudianus, bello Getico.

*Romani carbaſus aui*. vt animaduertit Hermannus Hugo de Prima Scrib. Orig.cap.10.

LXXI. Hinc etiam non aliam ob cauſam admirationem Plinio mouit Parthorum in veſtibus literas cõtexendi modus, quibus ob vicinitatem, Papyri copia eſſe poterat; *Nuper & in Euphrate naſcens circa Babylonem Papyrum intellectum eſt eundem vſum habere chartæ: & tamen* ad-

*adhuc malunt Parthi veſtibus literas intexere*. Eas *Serica volumina* nuncupaſſe videtur Symmachus lib. 4. Epiſt.34. *Tu etiam Sericis voluminibus, Achæmenio more, infundi literas meas præcipis*. Probè id, nec ſine commodo, Franciſcus Petrarcha æmulatus, non dicam ſericeis, ſed aureis ſignanda monumentis, ingenij ſui molimina, quæ occaſio, tempuſque ſuggerebat, in coriacea veſte, ne perderentur, adnotabat. Rem literis conſignauit Franciſcus Bocchius, Elogiorum lib. 1. & ex Bocchio Ioannes Philippus Thomaſinus, reconditæ eruditionis Vir, in aureo illo Syntagmate, cui *Petrarcha rediuiuus* nomen fecerat, cap.23. retulit: vt & ipſe abſolutiſsimi Herois, ac planè diuini, factum rarum, non alia narratione exponam: verba Bocchij ſunt; *Conſueuerat Poëta noſter, dum moliri aliquid cogitando vellet, multis ſpatijs faciendis, deambulare ſolus, & dum orirentur cogitationes, atque aliæ alijs ſuccederent; ne quæ ſubitò eruperant, euaneſcerent, pellita quadam in veſte, qua erat indutus, quæque nullo panno exteriore erat cooperta,*

*ta, ſcriptitare ſubitò, quæ Tuſcis in Muſis venerant in mentem, multiſq; hàc, atque illàc notis, & lituris circumſcribere. Hanc ipſam veſtem Ioannem Caſam, vnà cum Iacobo Sadoleto, & Ludouico Buccatello, quorum erat in poteſtate, contemplari ſolitum eſſe dicitur: & cùm anno* M.D. XXVII. *grauis peſtilentia omnia in Italia deuaſtaret, cùm animi, tum etiam ſalutis cauſa rus Muggolanum Ioannis Caſæ omnes conceſſiſſe, ſecumque hanc veſtem, vt per otium contemplarentur, habuiſſe.* Et Coſmas Eunuchus Abbas in Limonario apud Sophronium, vel Ioannem Moſchũ, cap.40. non abſonè dicebat, *Cùm inueneris aliquid ex Opuſculis S. Athanaſii, nec habueris Chartas ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud.* Vide, quæ de Veſtibus olim ſcriptis tradit ex alijs, & potiſſimùn Aſterio, Amaſeæ Epiſcopo, Philippus Rubenius Electorum lib.2.cap.1.

LXXII. Plumbea item Charta dicitur, non quæ, mutata plumbi forma, in aliam degenerat, ſed plumbum ipſum malleis tenuatum, extenſumque. Nero apud Suetonium

cap.

cap. 20. Plumbeam Chartam ſupinus pectore, conſeruandæ vocis cauſa, vel augendæ, ſuſtinuit. Laminam vocauit Plinius lib. 34. cap. 18. *Nero princeps, lamina pectori impoſita, ſub ea cantica exclamans, alendis vocibus demonſtrauit rationem*. In plumbi nanque laminis interdum ita ſcribebatur, vt in Chartæ paginis, apud Suidã, εἰς ἐλασμοὺς μολύβδων γράφοντες. Tacitus; *Nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum*, quin & χάρτας μολυβδίνους multò ante Suetonium, dixiſſe vetuſtiſſimum Scriptorem, ex Ioſepho lib. 1. De antiq. Iudaic. docuerunt eruditiſſimi Viri. Et in Apollonio Tyrio habetur; *Fabris naualibus conuocatis conſecrari, & compaginari tabulas, rimas, & foramina liniri præcepit, & facere loculum, & Charta plumbea intus poſita obturari iuſſit.* Dicta autem Charta eſt, ob laminæ expanſæ, & Chartæ ſimilitudinem. Non alia ratione pagina dicitur ſaxum, ac marmor leuigatum, & panis æreus, panis ex fimo bubulo factus, panis aphronitri; & ſimilia. Nec alia eſt Charta plumbea Anaſtaſio in Sergio Papa, & Gregorio III. quod no-

tat Ludouicus Cerda in Aduerſ.ſacris cap.113.quàm quadratum ſcutulum, ad cooperiendas ædes accommodatum.

LXXIII. Nonnemo, ex auctoritate Guillandini, aſſerentis noſtros hoſce Libros vocari poſſe Linteos, ait, haud obſtare, quin credamus, Libros à Plinio, Liuio, aliiſque Linteos nuncupatos, ex hac eadem Charta, qua nos vtimur, fuiſſe compaginatos. Quod ludit iſte nobiſcum, non par identidem ſeriò præuortier. Sed pondera argutiæ excutiamus: non obſtat, quin fuerit; credere poſſumus; ita nuncupari poteſt; ergo fuit. Ne ego ineptus dicar, non credam. multa fieri potuere, & tamen facta non ſunt. Agemus exemplis: κυνῆ capitis munimentum apud veteres, quia ex pelle canis efficiebatur, nomen habuit: cùm pelles illæ vileſcerent, & Galea capitis ex quacunque materia confecta ſit, κυνῆ adhuc dicitur. Eodem modò, cùm æs temperatum vicem ferri præſtaret, nunc arma, licet ex ferro ſint, ærea tamen vocitantur. Tabularum item, & pugillarium nomina ſæpe nunc pro

Li-

Libris vſurpantur, quòd antiquitùs tabulis ſcribebant; & Libri tamen non ſunt. Notat Ariſtoteles Libro de Poëtica, quia homines principio ſtanneis ocreis vtebantur, licet poſteà inuento ære, ac ferro, ære, ferreæque fierent; ocreas Achillis licet æreas ſtanneas tamen vocatas ab Homero. Sic etiam antequàm ex alia materia pocula conflarentur, cornua erant in vſu, hinc κεράω, & κεκραμμένον poſtmodum, licet materia poculorum mutata ſit, nec aliquid ex cornibus retineant, κεράειν nihilominùs etiam apud recentiſſimos in vſu eſt. Latini etiam ipſi Fabros aureorum numiſmatum, quòd initio ſic appellarentur, argentarios vocant; & arundinem, ſagittam eam, quæ nullam arundinem habet, quia ex ea ſagitta fieri cœpta eſt. Sic etiam monuit Cardinalis Beſſarion libro 4. aduerſus Calumn. Platonis cap. 10. Tyrannum pro Rege, ac iuſto principe poſitum à Platone, quòd ab antiquis vnius dominatus, quantumuis iuſtus, ac bonus, Tyranni appellaretur. Et cùm his alia ſexcenta, ne ſingula referam. Si verò plura deſideras, vide apud Euſta-

ſtathium Comment. in Iliad. Robortellum in dictum locum Ariſtotelis, & Tarquinium Gallutium in Virgilianis Vindicationibus lib. 5. loco 1. qui pleraque ex Robortello in ſuum Opus, ſed elegantiùs, transfudit. Argumentare igitur, quemadmodum & de Linteis argutaris: Galea ex ferro κυνέη dicitur; arma ferrea, ærea nuncupantur; Tabulæ, & Pugillaria, Libros nobis, ac Volumina innuunt, Stanneæ ocreæ, æreæ, ferreæque ſunt, pocula, cornea vocitantur; arundo ſagitta; argentarij, aureorum numiſmatum fabri; & Rex tandem iuſtus, Tyrannus; ergo non obſtat, quin credamus κυνέην Antiquorum ex ferro, quia noſtra ex ferro eſt, & arma ferrea, quia nos in illis conſtruendis ferrum vſurpamus; & Tabulas, ac Pugillaria ex Charta noſtra, quæ lintea eſt, fuiſſe: Stanneas Achillis ocreas ferreas fuiſſe, quia modò ex ferro fiunt; pocula vitrea, quia modò ex vitro; ſagittas ligneas, quia nunc ex ligno, argentarios fabros aurarios, quia nunc aurum tractant, & Tyrannos illos iniuſtiſſimos, ac immaniſſimos fuiſſe, quia nunc Tyranni eiuſmodi ſunt.

Imò

Imò Charta, in qua nunc ſcribo, Papyrus; Volumen, in quo lego, Liber non vocari poteſt: ſed vocatur tamen ab omnibus; ergo non obſtat, quin credam, Antiquorum Papyrum Chartæ noſtræ; & Libros Antiquorum, Voluminibus hiſce noſtris non diſſimiles fuiſſe: Obſtat ſanè, & plurimùm. Annon tam ineptè argutari, vera cum falſis confundere, id quod nunquam fuit, ac ſi fuiſſet, tam lepidè commentari, manifeſti, ac ridiculi mendacij, vel apud fatuos, conuincitur? Notauit Salmaſius in Vopiſcum Linteos iſtos libros, Mappas vocari. Auctores de limitibus; *Terminus, ſi ſcriptus fuerit, & punctos habuerit literis Græcis, ſequeris curſum eius à Sion, hoc eſt ab Oriente, per literas Græcas de Mappa.* Item, *in Mappa Albenſium inueniuntur hæc*. id eſt, *in Libris Linteis Albenſium*. Inde, *Linteæ Mappæ*, Cod. Theodoſ. leg. 1. de Alim. quæ Imp. Libri itaque Lintei, ſiue vela lintea, literas in ſe ſcriptas referebāt, quemadmodum Siparia, & Aulæa imagines, figuraſque depictas.

LXXIV. Argumenti difficultatem

cùm

cùm perſpexiſſet, nec alio modo Luſor poſſet ſatis obiectioni facere, aſſumit id pro vero, multò ante illa temporaChartam ex linteolis contritis apud Etruſcos fuiſſe, tamquam illius inuentores, qui poſteà tale beneficium Romanis communicarunt. Pag.91.Inter alia Etruſcorum inuenta illud quoque à Q. Valerio Flacco commemoratur; *Chartam ex linteolis contritis conficere.*Pag.2. *Libri mihi traditi fuerunt, & innumeræ chartanicæ chartarum inter ſe partim coherentium, partim non coherentium: quamplurimæ plumbeæ, & ex membranis: aliæ verò papyraceæ, ſed ex his paucæ, quamplurimæ etiam ex charta lintea.* Pag.13. *Denique Arununs Feſulanus in hac lintea charta ſcripſit.* &, *Hoc monumentum, ne periret, quod, proauus meus in papyro, quæ tunc ex Aſia ad nos, ſcripſerat, nec diu durare poßet, Auus meus Antius Veſulius in lintea, vt vides, diligentiſſimè conſcripſit.* Pag.10. *Lidoris Felſinius collegit, in his chartis linteis, Latinis literis ſcripſit.* Pag. 219. *Quæ omnia, à pluribus notata, & linteis chartis demandata, vſque ad*

*hunc*

*hunc annum durant*. Pag. 262. *Et alia quamplurima quære, aut in membranis, aut in chartis linteis, aut in plumbeis delineata*.

LXXV. Aduerſario ſatis opportunè reſpondere poſſemus, in hac re nos nulla indigere reſponſione, cùm nulla probatio afferatur. Hoc enim eſt, quod quærimus; An ſcripturæ iſtę eo tempore in Charta lintea ſcribi potuerint, tu ex his ijſdem ſcripturis hoc probas. Luſor noua fraude fraudem excogitatam contegit, quam nos dum aſſequimur, aliunde, quàm à Luſore, rei argumenta petenda ſunt. Ipſe dicto ſuo non probat. vis vt ſenſum aperiam? quò ille magis, ac magis Chartas linteas, etiam nulla vrgente neceſſitate inculcat, eò illas nobis, alijſque ſuſpectiores reddit, & adagium illud, ſi vſquam aliàs: nunc verum eſſe cernimus, *Excuſatio non petita fit manifeſta accuſatio*. Nimiùm ſibi cauet. nimiùm, quod nullus incuſat, ipſe excuſat. ſuæ fraudis cõſcius, veretur ne in ea deprehendatur. At fuerit ex linteis Charta, vt etiam in hoc Luſori morem geram; an ideò modus eam conficiendi, qui nunc obſerua-

tur,

tur, idem fuit? Apage. In vniuerſa Græcia, quod etiam in Italia, ni me coniecturæ fallunt, obſeruatum exiſtimo, in qua, poſt membranas, Charta ex tela lintea in vſu fuit; quamuis telam ex lino conficerent, eamque vetuſtate ſolutam in alios, atque alios vſus conuerterent, nunquam tamen ex huiuſmodi linteis contritis, ſed tantùm ex tela bombycina, & bombyce ipſo Chartam confecere: ideòque eorum Chartæ, antiquiores videlicet, craſſiores, minùs aſperæ, & duræ, quàm quæ ex lino fiunt, conſpiciuntur. & cùm dulciores ſint, ſunt etiam blattis, & tineis obnoxiores: nec memini, me in infinita penè copia Librorum, quos in ea lingua euolui, niſi in recentiſſimis, Chartam vnquam ex linteis, ſed ſemper ex bombycinis offendiſſe; qui vſus adhuc perdurat in Græcia. quamuis modò exteris Chartis hinc, & illinc aduenientibus, nulla linteæ, ac bombycinæ differentia, nullum diſcrimen habeatur. Et ab Etruſcis antiquiſſimis, & Syllanis temporibus eam ex linteis factam fuiſſe dicemus? Adde in Feſulana

hac

hac Charta clariſſimè videri, lineas illas, quæ à ſummo in imum folia diſcriminant. quæ in duas partes fuiſſe plicata ex ſigno ipſo in medijs folijs plicaturæ internoſcuntur. An etiam tunc temporis eodem inſtrumento Chartam extendebant, extenſamque eundem in modum complicabant, vti modo fit? Nugator, vt difficultatem effugeret, folia in fruſta modò maiora, modò minora ſubdiuiſit, & in eis ſuas nænias panxit. quod illi cùm videretur inſolens, ne ſui facti rationem redderet, ſæpè illud enunciauit: Pag. 85. *Ne te vexet, quod multa in fruſta conciſa repoſuerim; nam ita faciendum erat: quare ita, ego ſcio Proſperus Augur.* Parùm nobis refert, ſi tuum ſcire, non ſciat alter. Attamen ego fraudem aperiam. Non eſt vſus folijs integris, ſed conciſis, & mutilis, vt ex eorum medio Inſignia ab Artificibus expreſſa, quibus nunc quilibet eorum, quaſi iuſta nota, ſuum opus ab alterius ſubdiuidit, de medio tolleret, ne fraudem ſuam tam ſolida ratione euinceremus, ſigillo nempe viſo Fabri Chartarij. Non ita tamen ſibi cauit iſte Archite-

tectus, vt in vna ſchedula medium ſignum non reliquerit: quod vidit, & obſignauit quidam Amicus meus, antiquitatum peritiſſimus, pietate, ac religione celeberrimus, & qui mendacium ſemper, æquè atque angues, odit: is mihi hic Romæ aſſeruit, & iuratus affirmauit, è ſchedis illis inuentis, dum illas curioſiùs euolueret, in vna ſignum Artificis animaduertiſſe. Neceſſe itaque eſt, illis iiſdem temporibus quemadmodum & noſtris, ſignis ſuis Chartas obſignaſſe Artifices; quod quis credet? & ſi obſignare ſueuerant, quanam ratione in tanta ſchedularum effoſſarum copia nonniſi vnum tantum, & illud imminutum, ſignum repertum eſt? Tantùmne Feſulanus aliorum Inſignibus offenſus fuit, quorum beneficio ſuas antiquitates ad poſteros demandabat? Abſcidit ergo Inſignia, vt cautiùs ageret.

LXXVI. Si cum Cuiacio in expoſit. Nouel. 44. Simone Schardio in Lexico Iuridico, & Salmaſio in Flauium Vopiſcum dicant, Scapum Chartæ plures ſchedas, aut plagulas habuiſſe, & in ſola prima adnotatum

fuiſ-

fuiſſe, quo Comite largitionum, ſub quo erant chartariæ, quo tempore, quo loco, & à quo præparata eſſet illa Charta, ideoque Protocollon dici ſolita. quòd prima ante alias in ſcapo compaginaretur. Quidquid ſit de Protocolli ſignificatione, neq; enim omnia hìc examinamus, ex eodem Salmaſio concludimus, Chartas illas diuerſo à lintearijs noſtris charactere inſignitas fuiſſe. In ſcapo nanque Chartarum noſtrarum non prima tãtùm, vt olim, ſed omnes plagulæ characterem eundem, ac notam in medio formatam exhibent. Quemadmodùm enim res chartaria noſtra, à chartaria antiquorum differt, ita & nota huiuſmodi, quæ hodie in Chartis fit, longè diſtat à veterum Chartarum Protocollo: non tantùm quòd hæc nota, quam noſtrates exhibent, vix appareat, eodem colore cum ipſa Charta formata, ideòque nec ſcribenti officiat, nec legentem impediat; ſed etiam quòd ſingulæ ſchedæ, vel folia eundem illum præferant characterem, vbi apud Veteres ſcheda illa prima, quæ Protocollon habebat, ſcribendo prorſus erat inutilis; occu-

pata enim iam erat ſcriptura, vtpote quæ illuſtriſſimi pro tempore Comitis ſacrarum largitionum nomen præſcriptum haberet, & tempus, quo Charta erat confecta, & alia quædam, καὶ ὅσα, inquit Iuſtinianus, ἐπὶ τῷ τοιούτῳ ἐπιγράφεται, *& quæ in ſimilibus præſcribuntur*. Ideòque, ſubdit Salmaſius, Tabelliones, & Librarij primam illam ſchedam ſolebant excindere, & reuellere, vt immundam, & ad ſcribendum inutilem; at Iuſtinianus, Nouella iam dicta, conſtituit, in contractibus ſcribendis, vt Tabelliones Protocolla in Charta relinquerent, & intacta ſinerent, quòd eò ſæpè falſum coargueretur.

LXXVII. Quanta autem eiuſmodi Inſignia conſiderationis ſint, ex his, quæ mox dicam, apparet: Superioribus annis, vt retulit mihi, in Eccleſiſticis ritibus, ac ceremonijs ſatis eruditus, Michaël Lonigus; Thomam Pompeium, nobilem Veronenſem, Pædotribæ cuiuſdam, quem ille prius iniuria affecerat, criminationibus, à Senatu Veneto adſcitum coëgere Iudices, vt ſe, ſi modò vellet viuere, à crimine expurgaret: & Literæ illi oſten-

ſtendebantur Autographæ, quibus ad occupandam Veronam Mantuanum militem aduocabat. Ille, diu conſideratis literis, characteres ſuos eſſe, ſuiſque ſimillimos, ſe tamen eos neque ſcripſiſſe, neque manu ſua exaraſſe contendebat. Parricidij, & perduellionis reum, quid enim facerent iuſtiſſimi Iudices? condemnant Thomas dum meliùs ſibi prouidet, & Epiſtolas illas attentiùs, meditatiùſque conſulit, in ipſa Charta ſignum Chartarij artificis deprehendit, conſertque cum alijs; qui rem conſiderantes, ex ſigno illo Artificem illius Chartæ nonniſi poſt aliquot annos, quàm tempus in Epiſtolis ſcriptum ſignificabatur, conficiendæ Chartæ operam poſuiſſe comperiunt. Sic, deprehenſa calumnia, Thomas abſoluitur, Pædotriba, crimen confeſſus, meritas pœnas luit. Memini prætereà, me, inter confabulandum, à Purpurato Patre, ingenuo illo quidem, & res loquente meras, audiuiſſe, nebulonem quendam, confictà Syngrapha, à probo Viro debitum, idque non leue, repetendo, debito-

rem in iudicium vocaſſe: cùm is characteres ſuos agnouiſſet, nummos pręſtituta die reponere iuſſus eſt. Tandem, ſigno Chartæ conſiderato, in ea Barberina Inſignia conſpiciuntur, quæ nonniſi poſt Vrbani Octaui Pontificatum in Chartis imprimi cœpta ſunt, debitum autem contractum fuiſſe ſub Clemente Octauo in Syngrapha aſſerebatur. Hac ratione falſitatis conuictus, Scriptor Syngraphę condemnatur. Cuiacius item in expoſit. Nouell.44.refert., ſe audijſſe, Lutetiæ accidiſſe, vt Senatus ſuſpectum chirographum ex die, in eo adſcripto, quo nondum eius notæ Charta vlla erat in rerum natura, certiſſimo argumento quaſi falſum improbaret. En quantùm Inſignia illa Chartarij importent: quæ omnia Feſulanus ad obtegendam conceptam fraudem, ex Chartis ſuſtulit. Et hinc palam fit, quare ita fecerit, & in fruſta Chartam conciderit, quam noluit integram propalare perditiſſimus nebulo.

LXXVIII. Sed nota Vulpeculæ ingenium; vt vetuſtatem Chartę conci-

ciliaret, Chartam ipſam colore, in fuluum, atrumque vergente, tinxit. Cùm enim Chartas nigricantes conſpicimus, eas ſenio, ac longinqui tẽporis decurſu colorem illum ſibi comparaſſe, innatamque ſibi albedinem amiſiſſe opinamur, argumento valde infirmo. Multæ ſiquidem recentiſſimæ, igni, ac fumo, necnon pulueri, atque aëri expoſitæ per breue tempus nigredinem attrahunt, quam aliæ multò antiquiores, quia clauſæ, conſeruatæque fuerunt, non concipiunt. Vidi Libros quadringẽtis abhinc annis deſcriptos, nitore proprio conſpicuos, ac ſi heri, aut nudiuſtertius confecti fuiſſent; nec degenerem illum colorem, quem à vetuſtate tantùm naſci turba exiſtimat, induerunt: ſic etiam alios recentiſſimos, ob cauſas iam dictas, aliasque ex arte petitas, adeò nigricantes, vt ex Carbonaria ad nos appuliſſe fatereris omninò. Et, ne longè abeam, hic Romæ in Monte Quirinali, apud religioſiſſimos S. Sylueſtri Patres Theatinos, Matthæus Cicolinus, Cæſenas, ex Laicorum, quos ipſi vocant, numero,

Vir, licet rudis, & literarum, ac Latinæ linguæ ignarus, ingenio tamen acuto, ac perſpicaci, in Theorematis ſubtiliſſimis, & præcipuè, quæ vmbras, ac colorum naturam, & radios pertractant, fœcundiſſimo, vt ex Libris, quos ille de hac materia Italico idiomate compoſuit, aſſequimur, & ex tabulis, atque icunculis, quas, aliud agens, coloreſque indiſcriminatim commiſcens, veloci penicilli turbine parieti, alibique depinxerat, quas non hærere parieti, ſed ab illo ſeiunctas ſeparatim pendere, antequam propriùs acceſſeris, affirmares; vbi enim vicinus pictas in eodem pariete aſpexeris, arte deluſus, Artificis ingenium non ſine admiratione extollis, teque tam facilis credulitatis condemnas; vt faceſſere hinc poſſint antiquorum Priſcorum Muſcæ, & Vela; quò & noſtra ætas oculata, quę dum ſimilia alij referrent, non multùm fidei adhibuerat, vel hoc ſolo diſcat, vera eſſe, quæ in hanc materiã à priſci æui Scriptoribus ſcripto tradita ſunt: Is, inquam, talis, tantuſque, otio ſuo abutens, Libellum Ioannis

de

de Sacro boſco, de Sphæra, in Charta noſtra, ſed inuerſis literis deſcripſit, ea ratione, vt nonniſi ſpeculo, literæ illæ agnoſcerentur, vel legerentur. Vt characteribus illis tam abſurdis viſu, licet in ſpeculo pulcherrimis, quaſi rebus antiquis, inter amicos tamen iocans, vetuſtati, atque antiquitati fidem conciliaret quàm longiſſimæ; Libri pagellas, neſcio quo modo tinxerat, neque enim ab eo modum ipſum extorquere potui, vt omnes, qui Librum viderent, vno ore faterentur illum, eſſe antiquiſſimum, ac etiam ſupra milleſimum ſcriptum, & characteres illos linguæ alicuius eſſe iam deperditæ, ideòque veneratione dignos. Vbi ille amicorũ approbantium aſſenſum habuerat, applicato ſpeculo vt in ſpeculo incõprehenſos illos characteres perlegerent, iubebat. Leue ergo erit ex coloris nigredine antiquitatis argumentum, qui in hiſce Chartulis clauſis, obſeratiſque nullo modo à tempore ipſo imprimi potuit; niſi Feſulanus, quód pluribus modis, vel fuligine, vel fumo, ne ſingula recenſeam, efficere potuit, dediſſet. Ex fruſtulis, quæ

ipſe habui, pars aquæ immerſa fuſcum in clariorem colorem cõmutauit, quem pertinaciùs tenuiſſet, ſi vetuſtate cõtraxiſſet. Idq; clariùs apparet; quòd, diſciſſa Charta, non rectà, ſed ita, vt folium in duo ſubtiliora diuidatur, colorem album manifeſtiùs intueris, quem magis album poſteà lota reddit; manifeſto indicio, colorem non à vetuſtate contraxiſſe, tunc enim ea per omnes ſui partes, & intima penetralia eundem colorem imbibiſſet, qui modò, cùm in extrema tantùm ſuperficie extendatur, non aliunde quàm ab ingenio artificis promanaſſe iudicandus eſt.

LXXIX. Charta itaque Feſulani recentiſſima eſt: Num verò materia, ex qua literæ pinguntur, & ponuntur ob oculos, Atramentum, inquam, vetuſtatem innuit? Nequaquam. Relatum mihi eſt ab his, qui Autographa viderunt, & attentè cenſiderarunt, Chartas illas atramento, quo nunc nos ſcribimus, eſſe exaratas. Quare colligo etiam ex hoc impoſtoris perfidiam. Atramentum nanque, quo Syllanis temporibus ſcribebatur, multùm ab hoc noſtro differebat.

Vi-

Vitruuius lib.7. cap.10.tradit, Atramentum eo tempore ex reſinæ, ignis poteſtate exuſtæ, fuligine, gummi ſubacto, parari: & alias item Atramenti Antiquorum præparationes ibidem exponit. Plinius etiam lib.35. cap.6. *Atramentum fit ex fuligine, pluribus modis, reſina, vel pice exuſtis. Propter quod officinas etiam ædificauere, fumum eum non emittentes. Laudatiſſimum eodem modo fit è tedis. Adulteratur fornacum, balinearumque fuligine, quo ad volumina ſcribenda vtuntur. Sunt qui & vini fæcem ſiccatam excoquant: affirmantque, ſi ex bono vino ſæx fuerit, Indici ſpeciem id Atramentum præbere. Polygnotus, & Myron celeberrimi Pictores Athenis, è vinaceis fecere, Trygi-non appellant. Appelles commentus eſt ex ebore combuſto facere, quod Elephantinum vocant. Apportatur & Indicum ex India, inexploratæ adhuc inuentionis mihi. Fit etiam apud infectores ex flore nigro, qui adhæreſcit æreis cortinis. Fit & è tedis ligno combuſto, tritiſque in mortario carbonibus. Mira in hoc Sepiarum natura: ſed ex his non fit. Omne autem*

*Atramentum Sole perficitur, librarium gummi, tectorium glutino admicto: quod autem aceto liquefactum eſt, ægrè eluitur.* Addit Dalecampius, Septentrionales populos nigro Sepiæ addito tantillo aluminis, atramenti loco ſcribere, nec incommodè. Ipſe etiam Smyrnæ nonnullos vidi Sepiæ nigro elegantiſſimè, ac facillimè ſcribere. Vidi etiam ex pilis Capræ crematis atramentum non æquè nigrum, ſed ſubluridum, & fulgore quodam rufeſcens, quo in membranis ſcribitur, adeò tenax, & inuariabile, vt nunquam à primæuo ſtatu, niſi membrana fatiſcat, deficiat. Aſſeruatur penes me atramentum è Sinica regione aduectum, in tabula accuratiſſimè extenſum, figuriſque, quibus ea natio tabulas ornare ſueuerat, interſtinctum, nigerrimum, ac lucidiſſimum, ab humaniſſimo Gottardo Vœgelino Heidelbergæ dono acceptum. Præparatio, vt verbis Plinij vtar, inexplorata mihi eſt.

LXXX. Obſeruanda porrò ſunt Plinij verba; *Ex Sepÿs, quamuis in illo ſit Sepiarum natura, atramentum non fieri.* Quidquid ſit de nigro ſuc-

co

co Loliginis Horatianæ, Perſius Satyra 3. ſine controuerſia Sepiotici atramenti meminit, *Nigra quod infuſa vaneſcat Sepia lympha*. & Auſonius, *Notaſque furuæ Sepiæ*. Licet enim Sepiam pro atramento ob colo. ris ſimilitudinem poſitam nonnulli μελαντηρικῶς dixerint; An tamen liquore Sepię olim atramentum confieret, dubitauit Politianus Miſcellan. cap. 40. Afros è Sepia ſibi atramentum paraſſe, aiunt Gloſſæ Veteres, Cornutus, Caſaubonus in Perſium, & Voſſius Inſtit. Orator. lib. 4. cap. 11. Potior tamen Expoſitorum pars ex flore Sepiæ, ſeu papauere fieri ſolitum tradit: ita Ælius Antonius Nebriſſenſis, Ioannes Britannicus, Ioannes Murmelius, Eilhardus Lubinus, Antonius Foquelinus, Aſcenſius; Acron in Horat. Sat. 4. lib. 1. Gyraldus in Ænigm. Auſonij. Hinc Martianus Capella, *Nigello puluere, qui ex fauilla confectus, vel Sepia putaretur*. Multa Petrus Maria Canteparius, Opere de Atramentis cuiuſcunque generis, ſed parùm fœliciter, congeſſit. Sed non hic Atramentorum varias ſpecies, ac temperaturas nume-

me-

meramus. Habuimus tamen quibus modis antiquis temporibus, etiam poſt Syllam, atramentum parabatur: & quomodò tectorium glutino, librarium gummi conficiebatur. De Chalcantho, & noſtri temperatura ne verbum quidem. Non erat ergo tum atramentum hoc noſtrum; quod non præterijſſent laudati Auctores; nec potuit Syllanis temporibus eodem, quod nondum erat, ſcribens, nobis imponere Feſulanus.

LXXXI. Si quis verò nobis Chalcanthum obijciet, ſiue atramentum Sutorium; (quæ duo plerique confundunt, & idem eſſe contendunt, cùm Chalcanthum materia ſit, ex qua atramentum illud Sutorium conficitur, atramentum Sutorium ſuccus ex Chalcantho diſſolutus, ad tingendas, inficiendaſve pelles, & coria, quibus Sutores, vnde & nomen habuit, vtuntur; quo etiam denigrantur lanæ, capillique à pleriſque;) ſciat, eius, in ſcriptione, nullum vſum antiquitatem habuiſſe; quòd neque magnopere atram imprimeret notam, neque vllam illiniret maculam. Hinc apud Ciceronem lib. 9. Epi-

Epiſt.21. Sutorio atramento abſolutus dicitur, qui corruptela Iudicum, non citra infamiam abſolutus eſt; vt Adrianus Turnebus Animad. lib. 6. cap.1.& plerique alij adnotarunt. Salmaſius in Flauij Vopiſci Tacitum; *Atramentum, quo vtebantur* Veteres, *à noſtro atramento diuerſum, pingendo ebori aptiùs fuerit, quàm quo hodiè vtimur.* Et quamuis poſteà, Dioſc. & Galeni ætate, in Scriptorio quoque locum habuerit Chalcanthus, non ita tamen locum occupauit, vt ex eo potiſſimùm conficeretur, vt hoc tempore fit. cuius optimam præparationem, & modum ex Matthæolo Dalecampius nobis in Libris de Plantis lib. 1. cap. 2. expoſuit: & ex Braſauola in Examine terrarum pag. 471. Bernardus Cæſius de Mineralibus lib.2. cap.4. ſect.15. qui inter hoc & antiquorum atramentum diſcrimen agnoſcit. Cardanus etiam de Subtilitate lib.8. cùm cōficiendi atramenti, quo nunc ſcribimus, modum accuratè deſcripſiſſet, ſubdit; *Antiquo tempore, pro ſcribendis Libris, fuligo balnearum, & fornicum in vſu erat, & nunc ad excudendos Li-*

*bros*

*bros fuligine olei lini cum ipſo oleo vtuntur*. Neque ab hac ſententia alienus eſt Amatus Luſitanus in Dioſcor.lib.1. Enarrat. 83. *Porrò ad memoriam hic reuocandum eſt, ex fuligine reſinarum hodie atramentum componi, quo Typographi ſæpè vtuntur, adiecto aceto, & gummi Arabico; quò tenacius, craſsiuſque fiat, velut quoque Dioſcoridis tempore pro pingendis characteribus parabatur.* Dioſcoridis verba ex lib.5.cap.vltimo illa ſunt: *Atramentum, quo ſcribimus, fuligine è tædis coacta colligitur. In ſingulas libras gummi, ternæ fuliginis vnciæ adijciuntur. Fit etiam è reſinarum, & pictoria fuligine, de qua paulò ante diximus. Aſſumitur autem fuliginis mina, gummi ſeſquilibra, glutinis taurini, Chalcanthi, ſingulorum ſeſcuncia.* & lib.1.cap.94. *Ex reſinæ fuligine fit atramentum, quo ſcribimus*. Vides, Atramentum ex fuligine confici, ab eaque tanquam re potiſſima denominationem ſuſcipere; Chalcanthum ob exiguitatem nullius eſſe conſiderationis. Plinius lib. 34. cap. 12. dicens de Chalcantho, *Diluendo fit atramentum*

*tin-*

*tingendis coriis*; Nec quippiam de illius in ſcriptura vſu adnectens, annon palam illud innuit, nullum illius in ſcriptione vſum fuiſſe, aut ſaltem ipſum neſciſſe? An tantum audeat Feſulanus, vt etiam in hoc negotio, in quo, cùm ſcriberet, verſabatur Plinius, Plinium & oſcitantiæ, & obliuionis, ne dicam ſtupiditatis, accuſet? An ego, qui nunc ſcribo, atramenti quo literas in Charta exaro, niſi in occipitio oculi fuerint, obliuiſci potero?

LXXXII. Rei etiam nouitas in ihiſce Antiquitatum commentis in globulis, ſiue inuolucris, in quibus Chartæ illæ reponebantur, ſatis ſuperque oſtenditur. Ea, neſcio vndenam adſcito nomine, Luſor *Scarith* vocauit. Cùm multos interrogaſſem linguarum ſcientes, nullus mihi tam arcani nominis ſententiam aperuit; multi etiam riſu, cachinnòque exſibilarunt. Tandem ad Hebraicam linguam confugio, in quà primò hoc nomen Hebræum non eſſe apparet; cùm nullum apud Hebræos à duabus conſonantibus exordiatur; verùm ſi ad Hæbræam proprietatem referre illud velimus, non poterit alio modo

quàm

quàm Scichrit שחרית pronunciari : quod ſecundùm eius linguæ peritos, & præſertim Dauid de Pomis in Lexico Hebraico, nihil aliud, præterquàm mendacia, figmenta, falſitates, dolos, machinas, quibus alijs illuditur, ſignificat. Quod, vt animaduerti, exclamaui; O prouidam Numinis mentem! ò malè ſanam hominum prudentiam! dum à recto abit, rectumque conuellit, volens, nolenſque; quam veri cognitionem turbat, funeſtatque, quaſi ex oraculo dicit. Non equidem hic Feſulanus, ad nugas ſuas exprimendas, ac ſcelera, potuit aptiori nomine vti; vt vel eo ſolo, quantùm illi fidere debeamus, conſtituat. Globuli itaque iſti, ſiue inuolucra ab Auctore ipſo Mendacia nominantur; quid fruſtra calamum, mentemque fatigas? habes nomen, tene fraudem, & falſæ ſcriptionis figmenta deuita. Sed ne mentientis fidei innitamur, veritati imponentem pergamus refellere.

LXXXIII. Neque enim fieri potuit, vt materia illa, ex qua compacta fuerant Scarith, tandiu defoſſa, immixtaque terræ, putredini reſtiterit.

rit. Eam vt admirabiliorem faceret quiſpiam, propterea que à corruptione eximeret, ex bitumine, pice, reſina, cera, thure, ſtyrace, & maſtice, alijſque conflatam eſſe enunciauit. Rerum tamen harum periti, & qui ſimilia quotidiano vſu apprimè norunt, quos ego conſului, præter picem, piloſque, & cretam, quæ pici, ne vaſculo adhæreſcat, apponitur, nihil aliud internoſcunt; & mox experimento vario, & ignis etiam probatione, huius, quæ Scarith ambit, & illius, quæ in triuijs, aut in compitis venditur, collatione facta, nullum inter eas diſcrimen agnitum eſt, ſed in omnibus ſimillimæ deprehenſæ. Pice ergo, pilis, cretaque ferruminatum eſt; ni plures eorum modos quis affirmare velit, & alios alia ratione eſſe compaginatos: Scarith, quod ipſe apud me habeo, non alijs conſtat. Secundus cortex erat è creta cruda, villoque, digitis, vel alio in eam formam extenſus. At quamnam iſta perpetuitatem promittunt? & promittere maximam, ſeruaſſeque ſe, nos ipſa experientia docet, quando poſt milleſimum & ſeptingenteſi-

mum annum effoſſa, ſe ipſa, ſchedaſque in illis clauſas à putredine conſeruarunt immunes. Adderet alius, bitumine perpetuitatem parari, ex Albino Quæſt. in Geneſim, & Rabano: illud enim eſt feruentiſſimum, & violentiſſimum gluten, cuius eſt hæc virtus, vt ligna eo oblita, nec vermibus exedi, nec Solis ardore, nec flatibus ventorum, nec aquarum poſſint inundatione diſſolui. Ioſephus Antiquit. Iudaic. lib.1. cap.4. ex Beroſo; Euſebius De præparat. Euangel. lib.9. ex Abydeno; & Chronicorum parte prima ex Alexandro Polyhiſtore; Euſtathius Antiochenus in Examero; & alij, tradunt, ad ſua tempora ab incolis Apobaterij Arcæ reliquias monſtrari, & eius bitumine ad auerruncanda mala vti. Si quis conferat tempus ab exſtructione ipſius Arcæ anno nempe diluuij ad Euſtathij ætatem, ſi vulgatæ Scripturæ, vt par eſt, calculo innitamur, anni ferè 2615. intercedunt. An durabilius exiſtimari potuit? Bitumine quoq; ferruminati fuere muri Babylonis; Murum enim Semiramis Babylonis cocto latere circumdedit, arenæ vice,

bitu-

bitumine interſtrato, Herodotus lib. 1. Theocritus in Gratijs, Iuſtinus lib. 1. Curtius lib. 5. Ioannes Tzetzes Chiliade 9. Hiſtoria 275. vnde ad æternitatem haberetur ſine vitio Murus. Et Geneſeos 11. Filij, Nepoteſque Noë Turrim in terra Sennaar ædificauerunt, lateribus pro ſaxis, & bitumine pro cæmento vſi, vt nomen ſuum celebrarent, nempe vt futuris temporibus memoria ſui apud poſteros ſempiterna extaret. Et refert Theodoretus, quæſt. 59. in Geneſim, qui prædictam turrim ſpectarant, particulam effringẽtes, reperiſſe ſe faſſos eſſe bitumen coctilibus lateribus ſubſtratum. à Turri verò ædificata ad Theodoreti tempora, cùm illa ſcriberet, anni ferè ſunt 2215. Ægyptiorum quoque cadauera, bituminis beneficio, poſt viginti, aut plurium annorum myriadas, perpetuitatem adepta quodammodo fuiſſe: viderunt alij, & nos ipſi ſæpiùs apud generoſũ, & eximiæ literaturæ Virũ Petrum Vallium, quem æquè Roma, ac Græcia Vlyſſem ſuum, admiratur, vidimus, & ſedulò, ac meditatè circumſpeximus.

LXXXIV. Qui iſta diceret, vt à

po-

poſtremo initium ſumam orationis, condiendorum cadauerum modum, ignorat. Funera enim illa, Cedri ſucco medicari, alijſque aromatibus condiri, apud optimos Auctores planè tritum eſt. Ioannes Kirkmannus, ad abigendam è corporibus mortuorum putredinem, veteres potiſſimùm vſos eſſe Sale, Nitro, Cedro, Aſphalto, Melle, Cera, Myrrha, Balſamo, Gypſo, Calce, refert, probatque, lib.1. cap.8. de Funeribus Romanorum. Plura in eandem materiam doctè, conſideratèque Paulus Zacchias, Quæſt. Medico-Legalium, quibus & ſaluti hominum, & ciuium incolumitati prouidentibus certiſſimum ſe ducem præbuit, lib.4. Tit.1. quæſt.10. digeſſit, atque examinauit: vide præterea Lilium Gregorium Gyraldum, lib.de vario ſepeliendi ritu, Petrum Bellonium, Obſeruat. lib. 2. cap. 47. Inter ea Cedri præcipuè tanta vis eſt: vt corpora hominum defunctorum, eo perfuſa, plurimis incorrupta ſeculis ſeruentur. Et ſi quid etiam bituminis admixtum fuiſſe contendas, ne morologus ſim, non abnuero. Vitam tamen à Cedro, alijſque aromatibus

po.

potiùs quàm à bitumine, habent, cuius facultas facillimè ab alia ſuperatur, & potiſſimùm à terra, ſi cum illa admiſceatur. Tradunt nanque harum rerum periti, picem, & ſimilia in cellis repoſita, circumadſtantem terram vndique attrahere, quam ſi non tanta fuerit, abſorbent, in ſeſeque immutant; ſi multa ibi ſubaggeretur, bitumen ipſum, ſua vi, ac natura ſpoliatum, in terram degenerare; & quàm diutiùs facultatem purum ſeruauerat, mixtum ſenſim deperdere; adeò vt vix, quòd fuerit, agnoſcatur. Quamuis enim bitumen, licet exiguum, in quo generatur loco, & nondum ſeparatum, viuat, & perpetuò duret, inde tamen exciſum, alioque aduectum, quaſi mortuum, vitaque denudatum, langueſcens, lentorem, ſi rebus alijs admiſceatur, deperdit, & in aliam, atque aliam formam tranſmigrat. Babylonios porrò muros, quidquid alij dicerent, non bitumine, licet illud in ædificijs ſit perquàm idoneum, ſed lateritia ſtructura diuturnitatem ſibi, & æternitatem quodammodò auſpicatos, auctor eſt Ioſephus lib. 1. Antiquit. & Pli-

Plinius lib.35.cap.14.*Græci, ait, præter quàm vbi è ſilice fieri poterat ſtructura, parietes lateritios protulere. Sunt enim æterni, ſi ad perpendiculum fiant, ideò, & in publica opera, & in regias domos adduntur. Sic extruxere murum Athenis, qui ad montem Hymettum ſpectat; ſic Patris ædes Iouis, & Herculis, quamuis lapideas columnas, & epiſtylia circumdarent: domum Trallibus regiam Attali: item Sardibus Crœſi, quam Geruſiam fecere: Halicarnaſſi Mauſoli; quæ etiam nunc durat.* Hæc ad verbum mutuatus eſt ex Vitruuio lib. 2. cap.8. qui etiam Mauſoli ſtructuram ad ſuum vſque tempus egregiam præſtare firmitatem dicit, poſt 425. annos videlicet. Sed quid? ait Philander ſe audiuiſſe etiamnum durare. & lib.7.cap.56. idem Plinius, Epigenis grauiſſimi Auctoris teſtimonio, confirmat, apud Babylonios, ſeptingentorum viginti annorum obſeruationes ſiderum, coctilibus laterculis inſcriptas, conſeruatas eſſe. Structuræ itaque firmitas non ex bitumine, quo laterculi colligantur, fit, ſed ex ipſorum laterculorum natura, vitij ne-

neſcia, & potiſſimum ſi de terra albida, cretoſa, ſiue de rubrica, aut etiam maſculo ſabulone ducti ſunt. idque manifeſtum eſſe quotidiana experiētia addiſcimus ex antiquiſſimis fabricis; quæ licet multis ante Chriſtum annis, & ſine vllo bitumine, ſed tantum ex calce, & Puteolano puluere iuſta mixtionis temperatura conſtructæ ſint, nihilominus diuturna illa duratione ſoliditatem acquirere videntur, cum neque malleorum ictibus, neque vlla ferrearum machinarum vi concuti, conuellique poſſint, rumpanturque potiùs laterculi, quàm à glutine ſeparentur; ita vt cum cœmento colligati vnam ſolius lapidis duritiem præſeferant. Mirum dictu; vidi ipſe hiſce annis, cùm collapſarum Conſtantinianarum Thermarum in Quirinali Monte reliquiæ diſijcerentur, robuſtiſſimorum iuuenum in illis confringendis conatus irritos, & chalybem ipſum repercuſſum, contortum, & in minutiſsima quoque fruſta ea duritie comminutum: materiam verò ſolidiſsimam, ferro ipſo, chalybeque duriorem, ictus innoxiè perpeti. Quis crederet, à ſummo mane

ad ſummam noctem, lacertorum, neque inexpertorum, continuos niſus, aſperrimoſque conatus ex muro illo palmarem molem non contriuiſſe? Affirmat Vitruuius lib.2.cap.6.Puteolanum puluerem, commixtum cum calce, & cœmento, non modò cæteris ædificijs præſtare firmitatem, ſed etiam moles, quæ inde conſtruuntur in mari, ſub aqua ſolideſcere. Legimus etiam apud Plinium, eundem fluctibus merſum, protinus fieri lapidem; & Ciſternas Romæ ex arena foſsitia, & calce vehementiſsima, ita conſtructas, vt lapides videantur. Muri ergo Babylonici, & Sennaarici ex bitumine ſtructi, atque perfecti ſunt, non vt in poſterum temporis iniuria non vitiarentur, ſed quòd calcis, & arenæ, pulueriſque Puteolani, quæ forſan optaſſent, ſed fruſtrà, copia non ſuppeteret: ideoque bitumine abundantes, bitumine vſi ſunt.

LXXXV. Rerum enim paratu facilium frequentior vſus eſt, & communior. Plures Americæ populi, ex Auium plumis elegantiſsimè contextis, veſtimenta ſibi præparant, qualia multa Monachij, alibique conſpexi,

adeo

adeo concinnè, affabréque confecta, vt ſericea villoſa texta noſtra, non dicam, ſuperarent, ſed exæquarent; ſanè coloribus flammeis, floridiſque omninò vincerent: quia apud eos innumeræ diuerſis coloribus Aues materiam profuſiſsimè miniſtrant. Scriptore Strabone lib. 15. Ichthyophagi Indiæ populi è Cetorum, quorum ibi magna copia eſt, oſsibus ædificia conſtruunt. Idem de extremæ Septentrionalis plagæ incolis Olaus Magnus lib. 21. cap. 21. teſtatur. Quemadmodum & aliæ regiones vtilitatibus, quas ſingulæ habent, vtuntur, licet vna prȩſtãtior, altera ȩffectu poſtmodum ipſo dignoſcatur.

LXXXVI. Diceret etiam non nemo, vocem Hebraicam, quam Bitumen interpretati ſunt Septuaginta, & Auctor Vulgatæ, aliter ab alijs reddi; Vatablus enim expreſsit Argillam; Pagninus, lutum, cretam, vel rubrum bitumen, quod fit ex calce, & puluere laterum, vnde etiam rubrum colorem accipit. Diodorus Tarſenſis, Comment. in hunc locum apertiſsimè tradit, Hebræam, & Syram vocem in hoc loco non ſignificare bitu-

men, ſed calcem; idque longè probabilius eſſe, quòd bitumen non ſit idoneum ædificijs, calx verò ijs maximè ſit accommodata. Hanc tamen ſententiam optimè refellit Theodoretus quæſt. 59. in Geneſ. quam nec ipſe laudo.

LXXXVII. De bitumine Arcæ, quòd abhinc annos decem, Notis in Euſtathium Antiochenum, dixeram, rurſus repetam, non vi, ac facultate innata tamdiu perduraſſe, ſed ita Deo diſponente, vt mortales æternum, vt ita dicam, iuſtitiæ diuinæ, necnon miſericordiæ, præ oculis haberet monimentum. Pari ratione Cera interuallo temporis, lentore, ac viſcoſitate deperdita, in puluerem abit: & oculatus teſtis aſſero, Ceram rubeam, quæ craſsior, ac viſcidior alba, vel virgine eſt, quaque in ſigillis vtimur, poſt non longum tempus ita diſſolutam fuiſſe, vt vix ceram fuiſſe dignoſceremus: & curioſiſsimus rerum indagator Gabriel Naudæus ingenuè confirmauit, multa ex ſimili cera confecta ſigilla, dum Archiuum Reatinum, iuſſu ſapientiſsimi Principis ſui ſedulus indagaret, comperiſſe vetu-

ſtate

ſtate exeſa, & pinguedine, qua firmabantur, amiſſa, in puluerem, ac cineres conuoluta, operculis clauſa, loco non humenti, aut carioſo, & tamen annum trecenteſimum non exceſſerant.

LXXXVIII. In Cera enim vetuſta, non ſecùs gigni, ac in arido ligno, Animal candidum, quod omnium animalium minimum videtur eſſe, & vocatur Acari, monet Ariſtot. de Hiſtor. Animal. lib. 5. cap. 32. ſomniat Sylburgius, qui τυρῷ, non κηρῷ mauult ſcribi, vt ſermo ſit de Caſeo vetuſto, in quo ſolent gigni huiuſmodi minutiſsima Animalia. Verùm producta in Caſeo Animantia, non omnium Animantium minutiſsima ſunt, neque vt ea naſcantur vetuſtatem in caſeo requirunt, quæ etiam in recentiſsimo proueniunt. In Cera verò, quæ alia à putredine conſeruat, tempore vi illa, humoreque, quibus alijs, ſibique perpetuitatem promittebat, abſumptis, animal illud concipitur, quod reliquum, ſi quid eſt in Cera, viuacitatis erodit; quare in puluerem eam abire neceſſe eſt. Hinc concluditur, bitumen hoc adeò fria-

bile, pellucidum, & igni appoſitum, fœtidum, fumumque exhalans, recentiſsimum eſſe. Defoſſum nanque, humore terreo, vique terræ inſita, qua ſibi depoſita corrodit, per tot annos in puluerem diſsipatum, corporeque fractum, & ſplendorem amiſiſſet, & igni appoſitum neque fumum, neque odorem reddidiſſet. Ipſe etiam ab Architectis, & vrbanis foſſoribus diligentiùs perquiſiui, an quid vnquã ſimile ſub terra repererint? omnes ſimul, & inter eos Hieronymus, homo ex Oppidis Aquilæ Ciuitati adiacẽtibus, qui tertiam Vrbis, vt ita dicam, partem, & ſexcenta antiquorum ædificia cum ipſis fundamentis ferro, laboreque improbo diſiecit, effoditque, conteſtati ſunt, licet infra terram lapides, ac metalla, antiquitatis veræ notis percuſſa, offenderint, nunquam tamen bitumen, vel aliquid ſimile, offendiſſe: ridebantque Luſoris ingenium, qui incerto, ac labili inſtrumento rerum Etruſcarum perpetuitatem commiſerit.

LXXXIX. Nec alia ratione de Creta argumentabantur: ea enim, licet in maſſam proiecta, diutiùs pu-

tredini obſiſtat, ſi tamen aqua extendatur in tabulas, eaſque tenues, tractu temporis extenuata, vel humiditate concepta res in ſe occluſas, madefactas conſumit, vel ſiccitate ipſa in puluerem fatiſcens, & in ea aëre conputreſcente, tineis prognatis corrodit. Neque bitumen ſic digeſtum humiditatem à Creta arcebit; natura quippe ſua, in terræ viſceribus repoſita, terræ humiditatem, nullo impediente, quò aridior, eò ardentius exſugit: cuius etiam frigiditate aër in illis occluſus; & condenſatus, ſæpiſſimè ſoluitur in aquam. Hinc vaſa teſtacea, etiam quæ humiditatem abſumere nata ſunt, inueniuntur in latebris, plena aqua, non quam, qui primùm poſuerant, infuderant, ſed quam ea ex aëre terra moliente conceperant.

XC. Plinius lib. 13. cap. 13. ex Caſsio Hemina, probatiſsimæ notæ Scriptore; Liuius 50. belli Macedonici; Plutarchus in Numa; Valerius Maximus lib. 1. cap. 1. Lactantius lib. 1. Inſtitut. cap. 22. Auguſtinus lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 34. tradunt. Cn. Terentium Scribam, ſiue Lucium Petilium,

agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem, offendiſſe arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit, ſitus fuiſſet: in eadẽ Libros eius repertos poſt quingentos triginta quinque; vt Plutarcho placet, quadringentos annos; & eos fuiſſe è charta: maiore etiamnum miraculo, ſubdit Plinius, quòd tot infoſsi durauerunt annis. Si quadringenti, aut quingenti durationis anni miraculo fuerunt accuratiſsimis, ac prudentiſsimis Viris; annon inſtar portenti fuerit, quæ ex Feſulano aſſeruntur, chartam illæſam remanſiſſe, per annos mille, & ſeptingentos? Cùmque in chartarum illarum conſeruatione arcana rimarentur naturæ, illam tantùm cauſam aſsignarunt: En ex Plinio Heminæ verba; *Mirabantur aliqui, quomodò illi libri durare potuiſſent; ille ita rationem reddebat; Lapidem fuiſſe quadratum, circiter in media arca, vinctum candelis quoquo verſus: in eo lapide inſuper libros impoſitos fuiſſe; propterea arbitrarier eos non computruiſſe; & libros cedratos fuiſſe, propterea arbitrarier tineas non tetigiſſe.* Et confirmat Vitruuius lib. 2. cap. 9. *Cedrio*

*drio reliquæ res cùm ſunt vnctæ, vti etiam libri, à tineis, & à carie non læduntur.* Neque abnuit Martianus lib. 2. *Alia ex papyro, quæ Cedro perlita fuerant, videbantur.* Sic enim facili ſenectæ papyri prouidebatur. Neque enim omnes ſemper Libri in Vrbe Byblo eſſe poſſunt, in qua chartacei, déque byblo conſuti, ſi modò vera ſunt, quæ Stephanus, & Magnum Etymologicum produnt, repoſitique, corruptionis vitium nunquam ſentiebant. Cùm itaque Feſulana chartarum fruſtula Cedro vncta non fuerint, ſed tantùm bitumine in nonnullis partibus, & gummi Iuniperi perlita, quare non putruerint, ſed priſtinam naturæ firmitatem per tot annos ſeruauerint, velim ipſe à Feſulano perdiſcere. Chartam enim, eandem cum pannis linteis, ex quibus conficitur, naturam induentem, eandem cum linteo ipſo perpetuitatem habere neceſſe eſt; & quod linteum à putredine non ſeruat, neque chartam ipſam ſeruabit. At bitumen, & reliqua Scarithorum machina linteum ne putreſceret non effecit; ita in Præfatione, *Tela in puluerem*

*comminuta eſt*: Inane eſt ergo, quod prætendi poſſet, iſta vnctione chartas à putredine vindicatas fuiſſe, quæ adeò ſibi conſtant, & induratæ noſcuntur, vt non facilè diſcindantur, & vi illata, quemadmodum recentiſſimæ iſtæ, & quæ nunquam recunditæ ſunt, facerent, reſiſtant. Adde etiam, ſi libet, haud ità facilè credi poſſe, prædicta Scarith, non multùm altè defoſſa, licet oppoſitum aſſeratur, in eodem ambitu, & loco permanſiſſe, nec alibi fuiſſe ſparſa, vel raptata imbrium vehementiſſimorum turbine, ac torrentium impetu, aut terræmotibus aliò, atque aliò aduecta, cum vias ipſas, & ſilices vinctos, artéque non inconcinna ferruminatos, diſiectos, aſportatoſque hùc illùcque paſſim videamus, & antiqua ædificia euerſa penitus, dirutaque.

XCI. Quod verò aſſeritur, materiam Scarith extrinſecus ab aqua, intrinſecus ab igne defendere; & habuiſſe vnum Scarith primo cortice combuſto, vaniſſimum eſt. Qui enim fieri potuit, vt interna materia ignem non timeret, quæ vndique igne ipſo, bitumine nempe, circumueſtiretur?

illud

illud nanque & humore terrarum fouetur, & in aquis accenditur. De limo ſtagni Comagenæ, Chimæra monte, Nymphæo cratere, Carbonibus terræ Ampelitidis, Thracio lapide, Gagate, & alijs vide Dioſcoridē, Nicandrum, Galenum, Plinium; & qui non minori facundia, ac eruditione, noſtra ætate, de bitumine, & alia ignium hyle, poſtquam exarſit Veſuuius, alijs ob tantæ cladis, & rei nouitate conticeſcentibus, primus incendij cauſas aperiens, non omnibus obuia expoſuit, Petrum Caſtellum in ſuo Veſuuio; ne ſingula ipſe, præter inſtitutum, recenſeam. Illic facilem bituminis in igne concipiendo, ſi humiditas adfuerit, naturam conſpicies. Non tantam eſſe terræ humiditatem dicent, vt ignem excitet, & bitumen ipſum immixtum rebus alijs, ignem tam ſibi familiarem auertere. Si humoribus terræ imbres, ac pluuias addas, & aëris temperiem, ſæpè ſæpius tanta in vnum confluit humiditas, vt & ſtagna accreſcant, & ſcaturigines corriuentur. Nec copioſa humiditas, ſed temperata, & igni accendendo accommoda, incendium facit.

XCII. Sed defendat extrinſecus ab aqua bitumen, annon ſtultum, erit credere, cretam intrinſecus ab incendio defendere? Creta cruda, igni appoſita, flammis illis dureſcit; res tamen, quas in ſe conſeruat, eodem incendio abſumit, & torret. Benè lateritia illa Columna ex coctilibus laterculis, quam quidam Adamo, alij Abraamo, cæteri Setho, & rationabiliùs, dedunt, notas ſibi inſcriptas, poſt rerum conflagrationem conſeruare potuiſſet, igni cedere neſcia; non tamen inde etiam ſequitur, ſi quid externæ materiæ in ea eſſet clauſum, conflagratione illa non fuiſſe abolendum. Ne longiùs aberrem, Chymicæ artis Magiſtri, luto quod *ſapientiæ* vocant, & ex creta, tanquam re præcipua, conficitur, vitra illinientes, ea ab ignis iniuria defendunt; & lutum illud igne inſaniente, ac ſi æternum eſſet, incendio pertinaciùs ſolideſcit, vitro quandoque interiùs liqueſcente, & materiæ reliquiæ, quæ in vitro inditæ ſunt, ardentibus flammis combuſtæ, in cineres, ac puluores rediguntur: & cùm ipſe chartam immiſiſſem, charta etiam ipſa

ipſa exarſit. Falſum ergo eſt, Scarith, primo cortice combuſto, chartas in alio cortice clauſas illæſas conſeruaſſe. neceſſariò enim, cortice interiore calefacto, atque accenſo, torrentur, & comburuntur, quæ in eo ſunt. Non credis? experire, periculum fac. non erit longum. ex eadem ipſa materia conſtrue, & claude quidquid volueris, quod tamen igni ſuccumbere poſſit, & ignis notas inuſtas excipere; igni apponito, & videbis rerum mutatam faciem; quod & pueri norunt.

XCIII. Prætereà in inuolucris eiuſmodi corticis tenuitatem conſidero, quæ faciliùs læditur, & vitijs patet. Poterat ſanè Luſor craſſiores, moleque grandiores efformare, vt, craſſitie ipſa firmiores redditæ, diutiùs perdurarent: id & meliùs eueniſſet cùm pauciora, & grandiora plures chartas continuiſſent, & commodiùs conſeruaſſent. Cui enim commodo tot Scarithorum multitudo eſſe potuit? ſic etenim vel paruitate vileſcerent, vel exilitate abolerentur, vel diligentiam inquirentium effugiſſent; neglectaque ideò nouo ſepul-

chro

chro fuiſſent damnata. Sed dicat, nec inuideat, Luſor, in extremo obſidionis, cùm mors inſtaret, & manu trementi, atque funeſta, pag. 3. iam nonaginta quatuor Scarith ſepelierat, hæreretq; an illi facultas poſtmodum ſupereſſet tanta, Augur perſpicaciſsimus, vt & alia reponeret; (& modò ad Inghiramij manus centum, & nouem peruenere, ex quibus plura ſupereſſe apparet; quin & mihi relatum eſt à nonnullis, multò plura reperta fuiſſe;) quanam ratione, tantillo tempore, tot componere potuit Vir, publicis etiam negotijs intentus, modò ciuibus prouidens, modò armis hoſtem è muris repellens, modò Romanorum inſidias eludens? Homo pacatiſsimus, nullis externis negotijs obrutus, ſecurus, longè à metu, & periculo viuens, vix tot ſimul conflare potuiſſet, alio tempore, quàm inter obſidionis anguſtias, ſimilibus peragendis non aptas. In loco tandem, in quo tanta erat chartæ penuria, vt Feſulanus lamentatur, quomodo tanta eſſe, & cretæ, & pilorum, & bituminis abundantia potuit? Dicet, multos habuiſſe, qui ipſi

in

in illis extruendis operam præſtarent. Dicit tamen, vt alibi adnotabamus, non fidere ſeruis, qui ſeducti poſtmodum reuelarent Romanis. Inanijs ſunt ædes oppletæ, atque araneis.

XCIV. Poſſem etiam ex rebus, quæ hic narrantur, futile Scriptoris ingenium, mendaciumque ſatis manifeſtum comprobare; ſed vno, aut altero examinato, ſatis ſuperque inſtituto meo feciſſe exiſtimo. Etruſci nanque imperij tempora, & geſta, quæ tam diſtinctè, accuratèque Luſſor exponit, neque vera ſunt, neque ita eſſe potuerunt; ſi Sacræ Literæ; quæ nobis tanquam veritatis norma ab Eccleſia proponuntur, & quarum ſyllabis etiam adeò tenaciter inhærendum eſt, vt ſpiritum potiùs, quàm ipſas veri Chriſtiani in diſcrimen adducant, non mentiuntur. Ego ſanè oculato etiam mihi non credo, ſi, quod oculi vſurpant, cum illis non conuenit. neque auribus fido, ſi concorditer cum illis non tinniunt; & diſciplinarum ſemper eſſe ieiunus peroptaui, quæ mihi animum ab illis abducunt, vel aſſentientes illis ſen-

ten-

tentias non ſuppeditant. Ait itaque Luſor, pag. 7. Primò Noë, Vandimonem, & Ianum à Latinis vocatum, poſt aquas diluuij cum Iapeto filio in Italiam veniſſe, & Cethim ædificaſſe. De hoc Noë itinere nullum in Scripturis verbum eſt, quod illæ omnino non tacuiſſent, cùm inter Noë facinora non vltimum illud ſibi locum occupaſſet, cùm gentis illius initia poſiturus aduenifſet, quæ poſtea totum ſibi terrarum Orbem, & Iudęam ipſam, Deo tantopere dilectam, ſubijcere, & apud quam veræ religionis culmen, & fidei rectæ infallibilis regula diu manere debebat. Adde non eſſe credibile, Virum, iam ætate grauem, & tot laboribus fractum, ad longiſsimas Terræ partes pedem mouiſſe: quæ eum neceſsitas compulit? quæ ratio ſuaſit? priùs viciniores partes implendæ erant, demum quæ longè aberant. Quare, ſi terreſtri itinere rem aggreſſus fuiſſet, priùs Aſiam maiorem, & minorem, inde Europæ Scythicas partes, poſtmodum Italiam verſus progrediendo, antequàm illam attigiſſet, per Germaniæ potiſſimam partem, ac tandem per Inſu-
bros

bros perueniſſet in montem illum; ſi veliſicio contenderet, non potuit Italiæ viſcera penetrare, niſi priùs in Mediterranei Maris Inſulas, eas po- tiſsimùm, quæ ante ipſam Italiam locum occuparunt, & reliquas Italiæ oras,tum demum in Latium,& agrum Romanum diuertiſſet. Veruntamen, cùm ſacræ literæ diſperſionem illam gentium nonniſi poſt ædificatam turrim, & confuſionem linguarum factam dicant; ante enim non potuerant, licet à Deo moniti, à patrio illo nido auelli; *& dixerunt, venite, faciamus nobis Ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen noſtrum,antequam diuidamur in vniuerſas terras.* & , *Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare Ciuitatem. & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum:* Hinc ſequitur,vt poſt ædificatam Turrim,& confuſionem linguarum, diuiſio illa,cùm priùs omnes vnà conuiuerent, facta ſit. Immò in ijſdem ſacris Literis apertiſsimè dicitur cap.10. à generationibus filiorum Noë diuiſas fuiſſe

Inſulas

Inſulas gentium in regionibus ſuis, vnumquemque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis; & concludit; *Hæ familiæ Noë iuxt a populos, & nationes ſuas ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.* Cauſa itaque potiſſima diuiſionis gentium nulla alia, quàm linguarum iſta confuſio fuit: quod adeò certum eſt, & Catholicæ veritati conſonum, vt opinio illa Philaſtrij, Brixienſis Epiſcopi, in Catalogo Hæreſeon, cap. 106. qua, multis ſeculis ante Turris Babelicæ conſtructionem, ſermonum, ac linguarum varietas, Dei munere illis hominibus conceſſa aſſeritur; & verborum, *Erat autem terra labij vnius*, &c. interpretatio, plura ſcilicet linguarum genera labium vnum dici, quia omnes ſe inuicem intelligebant; à nonnullis hæretica iudicetur, tanquam ea, quæ Scripturæ ſacræ omnino repugnet.

XCV. Sed, vt rem accuratiùs examinemus, venerit in Italiam Vandimon: quonam, verò poſt diluuium, vel quo ætatis anno venerit, apud Feſulanum non eſt; vt eo ſilentio res obſcuriſsima, & perplexa, quaſi ſopita, occa-

occaſionem poſteà ipſi præberet, qua Etruſcorum Æram, vti vellet, effingeret, & principium, quod ſibi videretur, tanto imperio appingeret. At quam ſtultè Æra ipſa ſtatuatur, apertiſsimè liquet; neque enim in diebus, ac menſibus, vel paucis annis decertatio erit, ſed in centenarijs; adeò in Æræ illius collocatione cæcutiuit Artifex. Pag. 22. Romam Crani Atlantis filiam, à Patre Aboriginum Reginam conſtitutam, Romæ Caſtellum condidiſſe, tradit; repetitque, pag. 85. & pag. 142. ante eam annis 2105. regionem, quæ Italia dicitur, à Noë, & Filijs inhabitatam fuiſſe, Romam verò conditam ſub Crano Atlante, circa annum Etruſcum 1256. A Noë, & Filiorum habitatione ad Romam ędificatam ſub Crano Atlante, ſi non plus quàm prædicti anni numerantur, quomodò Vulterra ante Romam 2105. annis inhabitata fuit à Noë? octingentorum quadraginta nouem annorum diſcrimen inter vtrumque calculum internoſcitur. Quòd ſi Vulterræ conditæ præfixum terminum inueſtiges, ille multò ante Noëticum diluuium ſta-
tuendus

tuendus eſt, vt iam Vulterra alium à Noë ſui conditorem, &c. antiquiorem agnoſcat. De quo Feſulani iudicium expecto. Nam, ſi fuit, quid ergo nobis Noë Vulterræ conditorem obtrudit? ſi non fuit, & re vera illius conditor fuit Noë, quomodò Vulterra ante Romam conditam 2105. annis à Noë, & filijs eius habitatur? At non de Roma à Roma Atlantis filia condita, ſed de Roma à Romulo inſtaurata ſermonem ibi eſſe, fortaſſe dicet aliquis. Quantùm etiam iſta cum vera Chronologia cohæreant, inſpiciamus. Roma ante Chriſtum natum annis 752. à Romulo extruitur; cùm annus Orbis verteretur 3252. vel circiter; qui erit Vulterranus 2123. quos ſi cum iam anteactis computes, annus primus Vulterranus incidet in annum Mundi 1129. At tunc quidem Noë non erat niſi annorum 73, cùm anno mundi 1056. natus aſſeratur. Ergo non poſt aquas Diluuij in Italiam venit ad fundandam Vulterram, vt ipſe in verbis ſuis garrit, ſed multò ante, annis ſcilicet 572. quo quid immanius dici, quid inter Catholicas au-

res abſurdius audiri potuit? Pag. 19. tradit Vandimonem Ochi anno 22. in Cœlum tranſlatum, anno duntaxat ducenteſimo quadrageſimo quinto poſt Vulterram conditam: aſſignantur enim ipſi adminiſtrationis anni viginti duo; Iapeto viginti octo; Gomero ſexaginta tres; Ocho Veio quinquaginta; Iano ſexaginta; Ocho alteri triginta tres; quos ſi ab annis vitę Noë nongẽtis quinquaginta ſubtrahas, remanent ipſi Noë ſexcẽti, nonagintaquatuor; venit ergo annis poſt Diluuiũ nõ multis, Mũdi ſeptingẽteſimo quinquageſimo ſupra milleſimum; cùm nondum, vt ita dicam, aquæ Cataclyſmi illius exſiccatæ fuiſſent. Sed quænam tam præceps eum cauſa egit, vt in Italiam nauigaret? quæ neceſſitas ex tam cara, amicaque regione, in qua primùm ſuum pedem fixerat, expulit? copia hominum? at nulla erat. anonæ caritas? ſed regio illa multò plures alere poterat. præceptum Domini? non ipſi; ſed poſteris datum fuit. Alio forſan tempore, & poſt multos annos emenſos potuiſſet in Italiam properare; at, quo fingitur tempore, non potuit

tuit ibi eſſe.

XCVI. Scio, annos Mundi alia, atque alia ratione à multis numerari; alij enim plures, alij pauciores conſtituunt: aſt, etiam ſi concederemus diſcrimen, quod tantorum Virorum ingenia exercuit, exercetque quotidie, Feſulano; non inde tamen erit, vt chronologica illius ratio approbari vllo modo poſſit: ſemper enim Vulterræ ædificatio multò ante Diluuij tempora aſſerenda eſſet, & Vandimonis in Italiam acceſſus; quod planè nouum erit, & merè fictitium. Quare ipſe etiam, quod alij in eandem ſententiam laudarunt, ex Fabio Quintiliano, ingenuè repetam; *Mentiuntur tutò, quia illi, qui nondum fuerunt, inueniri non poſſunt. De rebus etiam ipſis tutiſſimè mentiuntur, quia nulli teſtes produci poſſunt, qui non ſunt pueri, ſi contra veterrimos conferuntur.*

XCVII. Æræ Vulterranæ nugæ magis pateant. Feſulanus iſte anno poſt Catilinam trucidatum ſcribebat, quem ſcribit fuiſſe Vulterranum 2796, ante Chriſtum natum ſexageſimum ſecundum: Chriſtum natum ab Or-

be

be condito, quamuis alij alia dicant, anno 4002, aliquorum ſententia eſt; quam eò libentiùs hic aſſumo, vt nugatori propter latiores terminos gratificer, à quibus ſi ſexaginta duos demas, ſupererunt 3940. Numeremus ergo Vulterrani Imperij 2796. retroacta tempora metiendo, ad initia ipſa Mundi. Quare à 3940. Mundi, ſubtrahe Vulterranos 2796, qui remanent erunt Mundi 1144, quando Vulterra aſſeritur condita fuiſſe a Vandimone: ergo Noë ætatis ſuæ anno 88. Italiam petijt, cùm ille anno Orbis conditi 1056. natus ſit, ante ipſum Diluuium annis fermè 512. Ruunt ergo tot impoſtoris nugamenta, quibus acceſſus Noë in Italiam poſt Diluuium prædicatur. Ruunt ſacroſancta illa Vandimonis verba, pro quibus vertendis, & tranſcribendis tot Vulterranorum Collegia deſudarunt; cùm poſt diluuium pronunciata, Pag. 174. aſſerantur. Illud hìc addiderim, tempora omnia, quæ ante diluuium ſibi aliæ, atque aliæ nationes ſuæ origini adſcripſere, à ſanis, ratiſque hominibus veluti conficta derisui habita fuiſſe. Et ad hæc tem-

pora

pora Chriſtiani, ac Catholici homines; quæ Ægyptij de ſua antiquitate ante triginta annorum millia apud Diodorum, Herodotum, aliosque fabulantur; quæque Sinenſes apud Ioannem Gonzalam Mendozam lib.3. initio, de ſui imperij ſucceſſione, cùm regnandi initia ante diluuium annos circiter 523. figant, tanquam fabuloſa, & nugaciſſima explodunt: reprehenduntque Mercatorem in ſua Chronologia, qui dat Ægyptijs, & locum, & dynaſtias plurimas ante diluuium Noë. His non diſſimilia ex Ægyptiorum ſchola protulit, examinauitque acutiſſimè Auguſtinus Maſcardus, homo ingenioſus, eruditus, doctus, & in dicendo, ac diiudicando exercitatiſsimus, in laudatiſsimo de Arte Hiſtorica Opere, Tract.1. cap.1. De nationum Orientalium varia, ſed enormi, ac fabuloſa antiquitate, rara nobis, nec omnibus obuia, ex earundem monumentis, inter diſſerendum, narrare ſolebat harum rerum ſcitiſsimus Donatus Liliellus: quæ eſſet operæpretium aliquando in commentaria referre, vt quantùm circa ſuæ gentis primordia

nationes illæ inſanierint, veluti in tabula comprehenderetur. Sed quis nunc *προσελήνους* Arcadas, & Athenienſes *αὐτόχθονας*, alioſque Aborigines, non irridet? ego concederem hæc, & ſimilia Feſulano, vt magis inſaniret; ſed ratio, rei veritas, fideſque ipſa non ſinunt. Fidem rei aliquam feciſſet fortaſſe, ſi veroſimilia finxiſſet.

XCVIII. Neque annorum diuerſitas, neque Chronologiæ varia ratio inter Hebræos, & Septuaginta, Feſulani Chronologiam approbabunt. Quidquid ſit, neque enim refert, de annis ante Diluuium; de annis poſt Diluuium pauca dicamus. Græcorum Eccleſiaſticus computus ab Orbe condito ad Chriſtum natum (haud enim operæpretium eſt aliorum ſententias hic recenſere) annos numerat 5508. & à Diluuio 3263. à quibus ſi detrahas annos ſexagintaduos, quando ſcribebat Feſulanus, erunt 3201. Progredere ergo, annos illius menſurando. ſi anni Etruſci ſunt 2796. cùm Feſulanus ſcribebat, & ſecundùm calculum Septuaginta, Mundi 5446, neceſſe eſt Vandimo-

nem in Italiam veniſſe anno Mundi 2650. anno nempe poſt Diluuium 408. Sed quis vnquam ſomniatus eſt, Noë poſt Diluuium 408. annos vixiſſe, cùm manifeſtè ſacræ Literæ dicant eum ſolummodò 350. ſuperuixiſſe? Præterea dicit, Vandimonem in Cœlum translatum anno 245 poſt regnum Etruſcum. Si regni Etruſci anni ſunt 2796, neceſſe eſt eundem fuiſſe translatum anno Mundi 2795, qui erit poſt Diluuium 553. Quanam ergo ratione, qui, ſecundùm diuinas Scripturas, poſt Diluuium vixit annos 350, anno 553. transferri potuit? & qui anno 553 poſt Diluuium translatus eſt, quomodò poſt diluuium anno 100. in Italiam venit? Annon ergo Feſulani Chronologia deliramentum merum eſt? ſcitum hercle hominem, qui homines prorſus ex eruditis ineptos, ac inſanos facit. Hæc ex computo Græcorum, quem multi etiam è Latinis Patribus ſecuti ſunt, quamuis à Vulgata Bibliorum editione proſcripta, in medium adduximus, vt prodigia, & monſtra in his Antiquitatibus detegeremus. Excuſa, Lector, ſi veritatis amore, & impu-

dentia

dentia Feſulani, ſæpè tibi morologus fio.

XCIX. Et vt verum fatear, ſępius mecum ipſe non ſine maxima animi commotione nugamenta, & in Chronologia potiſſimùm, Feſulani execratus ſum. Nullum enim inter tot, etiam inſcitiſſimos auctores, offendi, qui, licet ſæpiſſimè aberret à ſcopo, & vt plurimùm cæcutiat, non aliquando collimet, & videat, præter vnum iſtum ſtolidiſſimum nugatorem. Nunquam enim Vulterrana tempora cum externis committit; abſque eo quòd omnia confundat imperitiſſimè. Ideòque, præter iam dicta, illud etiam dixerim; Pag. 42. narratur anno 1850 Vulterrano, ad petitionem Augurũ, ſex Legatos cum muneribus ad Salomonem, Hebræorum Regem, ſapientia celebrem, miſſos fuiſſe; qui ad finem anni ſubſequentis redeunt. & pag. 212. anno 2538. ab Onia Maximo Hebræorum Sacerdote, Hebræorum Vatum carmina, cæremonias, legeſque Hebraici populi in membranis tranſcriptas, allatas Vulterram fuiſſe. An id fieri potuerit, inſpiciamus. Et ne Luſorem vehe-

mentiùs vrgere videamur, eſto, concedamus illi Noë ſtatim ab ipſo Diluuio, eodemque anno Italiam penetraſſe, & momento ipſo Vrbem ædificaſſe, cœptoſque fuiſſe annos numerari. qui annus ſecundùm exactiorem calculum erit Mundi 1657. Adde ergo annum Vulterranum 1850, quo aſſeruntur Salomonis Legati, erit annus mundi 3507. cùm Darius ingenti armatorum hominum exercitu totam ferè Græciam occuparat. At quomodò tunc Salomon in viuis eſſe potuit, qui ante annos 508 vita exceſſerat? Eadem ratione, ſi annis Mundi poſt Diluuium Onianos 2583 apponas, fient anni Mundi 4240. poſt Oniæ obitum anni 286. &, quod magis ridiculum eſt, poſt ipſius Feſulani mortem anni 100. Multò his abſurdiora, ſi Græcorum computandi ratione tempora menſuraremus, deprehenderentur. I nunc, & riſum contine, ſi potes.

C. Quod hic ex Septuaginta diſputauimus, in gratiam Feſulani dictum ſit; licet compertum habeam, Antiquitatum Etruſcarum Scriptores non potuiſſe eam, quam non habebant,

bant, nec poterant habere, quando iam tum, cùm ipſi ſcriberent, nulla eſſet, Interpretationem ſequi; & quæ ex ea nata eſt, Chronologiam. Antequam Interpretes illi in lucem veniſſent, rerum antiquarum ſeries, Chronologiæ Interpretum innixa, futuro mendacio, atque errore ſtabilitur. O' laudandam Feſulanorum Augurum aciem, quæ tam acutè futura conſpiciat. & quæ etiam, ſiue ex malitia, ſiue ex oſcitantia Scriptorum fraudes, mendaque, in ratione temporum commiſſa, tam euidenter teneat, vt Chronologiæ ſuæ momenta, non incerta, atque indubitata anni menſura, ſed in fallaci, peruerſaque fundarit! Bibliorum Septuaginta Interpretes ſub Ptolemæo Philadelpho, quidquid alij de Lagi filio Sotere diſputent, Alexandriæ, ſacræ Scripturæ libros in Græcam linguam, diuino numine afflati, vt plerique Patres autumant, ideòque probè, ac fideliter, ſine vllo errore, ac mendo, ex Hebraico penu, ad veritatem Hebraicam tranſuexerunt. Idque aſſeritur fuiſſe Olympiade 127. anno Philadelphi 16. Mundi 3737. ante Chriſtum 265.

Opus in Bibliotheca reponitur : dum interim, vt alijs quoque tantus Theſaurus ſubminiſtraretur, & præſertim Hebræis Helleniſtis, ea ætate ſapientiæ nomine in Alexandrina Vrbe conſpicuis, non priuatis tantùm, ſed publicis, ac ſacri Templi vſibus pateret, varijs Exſcriptorum manibus iactari cœpit; varijs quoque, eorundem inſcitia, atque imprudentia, vt impoſtorum fraudes taceam, vitijs deturpatur; vt poſt non longum tempus in aliam, atque aliam faciem delapſum, eam tandem induerit, quę vix à quoquam cognoſceretur. Hinc tot Patrum querelæ, tot de nouo tentatæ interpretationes, tot ad diuerſa exemplaria collationes; quibus neque id impetrauit, vt priſtinum ſplendorem indueret, ſed quibuſdam adhuc maculis, quæ aliorum ope Codicum emendari non potuerunt, pollutum videretur: potiſſimæ iudicantur in annorum computo, dum vitæ annos Patriarcharum, ante, & poſt Diluuium ad ortum Abrahæ, à Vulgata, & Hebræa diſſidens, numerat. Ipſi enim cùm natum Abraham aſſerant Mundi anno 3512; Vulgata 1978, vel circiter;

citer; differentia erit annorum 1534, quæ nullo modo corrigi poteſt. Adde etiam, non omnes Græcorum Codices in ea enumeratione inter ſe conuenire. Quare quotquot hac ætate, poſt Concilium Tridentinum, Scripturæ ſacræ loca examinant, vno ore ferè omnes id aſſerunt, Septuaginta Interpretum textum, corruptum fuiſſe, Vulgatæ tanquam incorruptum ſequendum; quæ cum Hebræo textu in omnibus ferè conueniens, ampliorem veritatis fidem facit: & menda in illa interpretatione, non Septuaginta Interpretum vitio, ſed tranſcribentium contigiſſe.

CI. Ne minutiora hic colligam, quid de hoc Sacra Congregatio Generalis, cui non acquieſcere nefas eſt, cenſuit; ex inſtructiſſima plurimis, & grauiſſimis Libris Bibliotheca Eminentiſsimi Cardinalis Biſciæ, literatorum verè Mæcenatis, deſumptum, quia ineditum eſt, Lectoribus proferam, vt diſcant in poſterum cautiùs loqui: *Dubitatur in quadam Vniuerſitate, quæ Societatis Ieſu curæ commiſſa eſt, quo pacto intelligendum ſit Decretum illud, quo ſancta*

*Tridentina Synodus, enumeratis Libris Sacris, ſic ſtatuit; Si quis Libros ipſos integros omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in Veteri Vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit. An, ſcilicet, eo pacto, vt in fide, errare cenſeantur, qui aſſeruerint aliquid repugnans, vel minima periodo, aut membro enumeratorum Librorum, etiam cùm in ea re ſint appoſitæ lectiones Græci contextus, aut Hebraici, an potiùs ÿ tantùm, qui integrum aliquem ex his Libris, aut eorum partem aliquam reiecerint, de qua aliquando fuit controuerſia, num Canonica, & Sacra cenſenda eſſet: quo pacto quidam, in Veteri Teſtamento, dubitarunt de Cantico Trium Puerorum, & de Hiſtoria Suſannæ; in Nouo autem, de vltimo Capite Marci, & de initio octaui Capitis Euangelÿ Ioannis. Die 17. Ianuarÿ 1576. Congregatio Generalis per S. †. L. A. S. Montalt. Sixt. Caraf. cenſuit, nihil poſſe aſſeuerari quod repugnet vulgatæ Latinæ editioni, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum,*

*brum, ſiue vox, vel dictio ſola, vel ſyllaba, iotaue vnum; & acriter reprehendit Vegam, qui lib. 15. de Iuſtificat. cap. 9. tam audacter locutus eſt. Quo ad oppoſitionem textus Græci, & Hebraici, cum Latina Vulgata lectione, remittit Interrogantem ad tertiam regulam Indicis, ſub Pio IV. editam.*
Quomodò ergo Feſulanici Scriptores, in Septuaginta Interpretum, Opus, quos diximus irrepſiſſe, errores Chronologicos, qui, cùm ipſi ſcriberent, non erant, varios, ac pro varietate Codicum diuerſos, ſequi potuiſſent, & tanti Imperij res geſtas inani, fallacique calculo committere? & quanam hunc errorem ratione ipſi diuinarunt? Calculus verus: ac genuinus Septuaginta non alius quam ipſius Vulgatæ fuit: quem autem variè Patres ſecuti ſunt, licet vſu temporis comprobatum, & copia Codicum euulgatum, nondum genuinum in tanta varietate lectionum agnoſcimus. Non inde tamen ſequitur, Scriptores Feſulanicos eum ſequi potuiſſe, qui ipſis innoteſcere haud potuit, cùm nondum illa verſio, nec errores in illam illapſi extarent, cùm ipſi ſcri-

*Tridentina Synodus, enumeratis Libris Sacris, ſic ſtatuit; Si quis Libros ipſos integros omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in Veteri Vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit. An, ſcilicet, eo pacto, vt in fide, errare cenſeantur, qui aſſeruerint aliquid repugnans, vel minimæ periodo, aut membro enumeratorum Librorum, etiam cùm in ea re ſint appoſitæ lectiones Græci contextus, aut Hebraici; an potiùs ij tantùm, qui integrum aliquem ex his Libris, aut eorum partem aliquam reiecerint, de qua aliquando fuit controuerſia, num Canonica, & Sacra cenſenda eſſet: quo pacto quidam, in Veteri Teſtamento, dubitarunt de Cantico Trium Puerorum, & de Hiſtoria Suſannæ; in Nouo autem, de vltimo Capite Marci, & de initio octaui Capitis Euangelij Ioannis. Die 17. Ianuarij 1576. Congregatio Generalis per S. †. L. A. S. Montalt. Sixt. Caraf. cenſuit, nihil poſſe aſſeuerari quod repugnet vulgatæ Latinæ editioni, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum,*

*brum, ſiue vox, vel dictio ſola, vel ſyllaba, iotaue vnum; & acriter reprehendit Vegam, qui lib. 15. de Iuſtificat. cap. 9. tam audacter locutus eſt. Quo ad oppoſitionem textus Græci, & Hebraici, cum Latina Vulgata lectione, remittit Interrogantem ad tertiam regulam Indicis, ſub Pio IV. editam.*
Quomodò ergo Feſulanici Scriptores, in Septuaginta Interpretum Opus, quos diximus irrepſiſſe, errores Chronologicos, qui, cùm ipſi ſcriberent, non erant, varios, ac pro varietate Codicum diuerſos, ſequi potuiſſent, & tanti Imperij res geſtas inani, fallacique calculo committere? quanam hunc errorem ratione ipſi diuinarunt? Calculus verus: ac genuinus Septuaginta non alius quam ipſius Vulgatæ fuit: quem autem variè Patres ſecuti ſunt, licet vſu temporis comprobatum, & copia Codicum euulgatum, nondum genuinum in tanta varietate lectionum agnoſcimus. Non inde tamen ſequitur, Scriptores Feſulanicos eum ſequi potuiſſe, qui ipſis innoteſcere haud potuit, cùm nondum illa verſio, nec errores in illam illapſi extarent, cùm ipſi ſcri-

*Tridentina Synodus, enumeratis Libris Sacris, ſic ſtatuit; Si quis Libros ipſos integros omnibus partibus ſuis, prout in Eccleſia Catholica legi conſueuerunt, & in Veteri Vulgata editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit. An, ſcilicet, eo pacto, vt in fide, errare cenſeantur, qui aſſeruerint aliquid repugnans, vel minima periodo, aut membro enumeratorum Librorum, etiam cùm in ea re ſint appoſitæ lectiones Græci contextus, aut Hebraici; an potiùs ÿ tantùm, qui integrum aliquem ex his Libris, aut eorum partem aliquam reiecerint, de qua aliquando fuit controuerſia, num* Canonica, *& Sacra cenſenda eſſet: quo pacto quidam, in Veteri Teſtamento, dubitarunt de Cantico Trium Puerorum, & de Hiſtoria Suſannæ; in Nouo autem, de vltimo Capite Marci, & de initio octaui Capitis Euangelÿ Ioannis. Die* 17. *Ianuarÿ* 1576. *Congregatio Generalis per S.* †. *L. A. S. Montalt. Sixt. Caraf. cenſuit, nihil poſſe aſſeuerari quod repugnet vulgatæ Latinæ editioni, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum,*

*brum, ſiue vox, vel dictio ſola, vel ſyllaba, iota ue vnum; & acriter reprebendit Vegam, qui lib. 15. de Iuſtificat. cap. 9. tam audacter locutus eſt. Quo ad oppoſitionem textus Græci, & Hebraici, cum Latina Vulgata lectione, remittit Interrogantem ad tertiam regulam Indicis, ſub Pio IV. editam.* Quomodò ergo Feſulanici Scriptores, in Septuaginta Interpretum, Opus, quos diximus irrepſiſſe, errores Chronologicos, qui, cùm ipſi ſcriberent, non erant, varios, ac pro varietate Codicum diuerſos, ſequi potuiſſent, & tanti Imperij res geſtas inani, fallacique calculo committere? quanam hunc errorem ratione ipſi diuinarunt? Calculus verus: ac genuinus Septuaginta non alius quàm ipſius Vulgatæ fuit: quem autem variè Patres ſecuti ſunt, licet vſu temporis comprobatum, & copia Codicum euulgatum, nondum genuinum in tanta varietate lectionum agnoſcimus. Non inde tamen ſequitur, Scriptores Feſulanicos eum ſequi potuiſſe, qui ipſis innoteſcere haud potuit, cùm nondum illa verſio, nec errores in illam illapſi extarent, cùm ipſi ſcri-

 bebant.

bebant. Quare omninò vel Vulgatæ calculum, qui idem ferè eſt cum Hebræo, & illis familiarior eſſe debet, cùm initia Imperij Vulterrani à Vandimone iacta ipſi tenerent; vel alium tertium, & nullo modo errores, qui in Interpretatione Septuaginta ſpectantur, ſectati, meliùs de Chronologiæ ſuæ ſerie prouidiſſent. At quiſnam iſte erit, ſiue germanus, ſiue vitiatus Septuaginta calculus? Inter Græcos non conſtat; inter Latinos minùs notus eſt. Cùm verò à Vulgata diſſentiat; qui in Martyrologio colligitur, Septuaginta eſſe calculum opinantur: at longè Martyrologij calculus abeſt ab eo, quem alij, atque alij pro Septuaginta collegerunt; de quo potiſsimùm affirmari poterit, *tot capita, tot ſententiæ*: neque enim Greci Scriptores tantùm, ſed Latini etiam, qui Septuaginta calculum ſequi ſe profitentur, omnes inter ſe diſcordant, & inter alios Martyrologium Romanum; quod, diuerſum ab alijs, diuerſum quoque à Græcis, & Latinis enunciat. Duodetriginta de hac re Chronologorum ſententias, noſtris in Euſtathium Antiochenum Notis

ex-

expreſsimus.

CII. Vt verò Impoſtorem ex hoc quoque calculo mendacij conuincamus, annos Vulterranos, cum his iiſdem, quos Septuaginta eſſe contendunt, committamus. Numerantur ergo ab Orbe Condito Anni mundi 5199. à Diluuio 2957. Feſulanus ſcribebat ante Chriſtum natum anno 62. ergo erunt anni mundi 5137. à Diluuio 2895 à quibus ſi detrahas annos Noë centum, cùm Italiam penetraſſe veroſimillimum eſt, erunt anni à Diluuio 2795. & principium Æræ Vulterranæ, à quo anni Vulterrani nnmerandi ſunt, erit annus 2304. His ſic diſpoſitis, rem accuratiùs examinemus. Ait, Noë in Cœlum tranſlatum anno 245, regni Etruſci; anno nempe Mundi 2587. qui erit poſt Diluuium 345. ergo ſacra Biblia non Vulgata modò, ſed Septuaginta etiam apertiſsimè mentiuntur, qui Noë poſt Diluuium annos 350. vixiſſe manifeſtò aſſerunt: quæ eſſet ne operæpretium ex infantiſsimis hiſce Scriptoribus emendare? O ſcelus! Si dicant Noë non centum annis integris poſt Diluuium in Italiam immigraſſe, ſed

quinque hos annos præuertiſſe; Dicant, ſi poſſunt, quomodo annorum reliqui calculi, quibus ab hoc puncto hiſtoriæ ſeriem firmant, veritati innitantur, annis quinque mutili?

CIII. Sed cum videam quoſdam, qui cum dicto Martyrologij calculo omnia Feſulanica tempora indubitatis demonſtrationibus concordare contendunt, ne ſingula hic non ſine tædio referam, vnam aut alteram eorum rationem, eorumdem verbis expreſſam adducam, examinaboque; vt in reliquis quantùm eorumdem conatus valeant, Lector deprehendat. Dicunt ergo, Ab Orbe condito anno 5199. Eccleſiæ calculo, Chriſtus naſcitur, à Diluuio 2957. ab Vrbe ædificata 752. Noë, referente Lucio Velio, pag. 142. in Italiam ante Romam conditam anno 2105. appulit. His adde annos 752. ab extructione Vrbis, cùm natus eſt Chriſtus: erunt anni 2857. Noë ergo venit in Italiam ante Chriſtum natum annis 2857. & centum poſt Diluuium, qui erit annus Mundi 2342. Idque tempore mortis ipſius Noë confirmatur: ille enim, vt tradunt ſacra Biblia, an-

no 350. poſt Diluuium, quod ætatis illius anno 600. cæperat, deceſſit. colligitur ex Elbij Mauri computo pag. 19. eum anno ætatis 700. in Italiam migraſſe. Ædificata nanque Cethim, regnum ipſe tenuit annos 22. Iapetus Filius annos 28. Gomerus Gallus annos 63. Ochus Veius annos 50. Ianus 60: annò porrò 22. alterius Ochi Noë mortuus aſſeritur. ergo anno 250. poſt aduentum in Italiam, & non ante ſed poſt Diluuium anno 250, obijt. O feſtiuum, ò lepidum caput, vt catè nouit numeros emarcidus calculator! Chriſtus naſcitur anno, quo Martyrologium docet. non moror. Ante Romam conditam annis 2105. Noë Italiam petijt; quibus addis annos Vrbis 752. & fiunt anni 2857. At malè Vrbis anni adduntur. Romam enim, quam fundatam ait Velius à Roma Atlantis Filia, circa annum Vulterranũ 1256. ædificatam Antiquitates iſtę tradunt.

CIV. Intelligo hæc quoque nugatoria eſſe: Quid verò aliter fieri poteſt, dum in his Antiquitatibus verſamur? Regnauit enim annos

Van-

| | |
|---|---|
| Vandimon | 22 |
| Iapetus Filius | 28 |
| Gomerus Gallus | 63 |
| Ochus Veius | 50 |
| Ianus Gomeri F. | 60 |
| Ochus | 33 |
| Cranus Razenus | 54 |
| Vulturnus | 45 |
| Ianus Vandimon | 54 |
| Aruns | 15 |
| Meſappus | 34 |
| Ochus | 8 |
| Cambiſes | 24 |
| Vulturrenus | 12 |
| Ianus Veius | 42 |
| Arrabanus | 41 |
| Cambius | 45 |
| Oſcus | 35 |
| Arentius | 40 |
| Tuiſcus | 20 |
| Occus | 26 |
| Vulturrenus | 36 |
| Ianus | 26 |
| Cranus Ianiculus | 54 |
| Arunus | 63 |
| Tagot Teges | 42 |
| Sicanus | 30 |
| Enachij Gigantes | 130 |
| Oſiris | 10 |

Leſtri-

| | |
|---|---|
| Leſtrigon | 25 |
| Hercules Libius | 30 |
| Thuſcus | 27 |
| Althæus | 7 |
| Heſperus | 11 |
| Cranus Atlans | 29 |

Si circa eiuſdem Atlantis ãnnũ 15. Roma Filia Romam ædificauit, erunt 1256. à quo ad Chriſtum natum anni 1602. per Chronologos iſtos numerantur; quibus ſi addas 2105. fient 3707. At is erit annus Mundi 1492. Ergo Noë in Italiam venit ante Diluuium 640. ante quàm naſceretur 40. annos. quò quid abſurdius dici, aut excogitari potuit? & Romam anno, quo dicimus, ędificatam fuiſſe ex Antiquitatibus conſtat pag. 22. *Cranus Atlans Romam alteram Filiam Aboriginum proreginam conſtituit, quæ Romæ Caſtellum condidit.* pag. 85. *Roma primùm Romam ædificauit, ea fuit Atlantis Filia. Tum Pelaſgi poſt multa prælia cum Thuſcis, Latiniſque commiſſa, occupatam ſibi addixerunt.* Fruſtra porrò in his Antiquitatibus Romulum Vrbis conditorem conquires: cùm is pag. 86. *Ciuitati muros circumduxit, eam priori nomi-*

*ne Romam vocauit*. Qui itaque tot annos Diluuium præceſſit, non potuit poſt centum à Diluuio annos in Italiam penetrare, & anno 350. mori; &, qui nondum natus erat, anno ætatis ſuæ 700. pedem mouere, atque itineri ſe accingere, Anni prætereà Vandimonis, Iapeti, Gomeri, Ochi, Iani, Ochi ſecundi, quando Noe finem vitæ poſuiſſe traditur, è prædicto calculo, ſi deſipere non volumus, anni ſunt 245. Quid ergo inſulsè hic eos numeras annos 250?

CV. Sed nolo hic, etiam ſi poſſum, plura referre. Chronologia Feſulanica vera ſit, Eccleſiaſtico computo non diſſimilis, imò eadem. Nolo Chriſtianum hominem, ſiue etiam Scriptores, Chriſtiano nomini addictiſſimos, & qui nullam aliam, quàm Chriſtianorum annorum ſeriem conſectantur, è Chriſtianorum calculo amandare. Quis vel ex hoc non videat, Impoſtorem Chriſtianum eſſe, & Chriſtiana imbutum doctrina, non ante Martyrologij editionem annos ipſum ſuis digitis computaſſe? Quò magis cum annis Martyrologij anni Feſulanici conformantur, eò de hoc

ſuſpe-

ſuſpectiores redduntur. Illud etiam dignum admiratione eſt inter Feſulanicas Antiquitates, omnes vna conſpiratione, multis ante præfinita Martyrologij tempora, annis, ita concordaſſe in annorum numero, vt omnes vno ore locuti videantur: ſanè vno ore locuti ſunt: cùm omnes haſce affanias os vnum, neque enim plures Scriptores reor, protulerit, vomueritque. Habebunt hoc eximium Feſulanicæ, præ reliquis omnium nationum, etiam ſacris, Antiquitates, vt continuata ſine vlla intermiſſione, ac dubio Chronographiæ ſerie, tot auctoribus alio, atque alio tempore ſubſcribentibus, res ſuas, &, quod magis admirabile eſt, cum computo Martyrologij Romani complanent. Quis vel eo ſolo non animaduertit Chriſtianum hominem, impoſtorem, quamuis, ac nequam, iſtas fraudes, & res Etruſcorum à ſe confictas, Chronologia Eccleſiaſtica commenſuraſſe? Verane ſit, nec ne annorum illa ratio, quam Eccleſia in ſuo Martyrologio ſequitur, non diſputo. Illud ſanè enuncio à Vulgata, quæ fidem diuinam facit, & à qua homini Catho-

tholico recedere non licet, multis paraſangis diuerſam eſſe. O! diuinam ergo Augurum Feſulanicorum mentem, qua non futura modò, ſed imaginatione etiam præter rem confingenda, non dico, proſpiciuntur, ſed, ac ſi facta eſſent, prædicantur, atque vſurpantur! Annon tandem viam ingreſſus es? Annorum ipſa ratio pleniſſimè iugulat hominem: & falſi ardor deferuens, vt carbo in aquam coniectus, exſtinguitur, ac vileſcit. Nimis imprudenter tenebras cudit præſtigiator.

CVI. Feſulani porrò annos, eoſdem cum Biblicis fuiſſe Feſulanus ipſe non negabit, qui pag. 19. à Iano, Gomeri filio, annos ordinatos fuiſſe tradit, qui non aliter ordinare potuit, quàm à Maioribus, & Vandimone, atque Iapeto acceperat: eo nanque modo, quo erant apud Iudæos, duodecim nempe menſium, & dierum, cùm opus fuiſſet, intercalarium: id apertiùs pag. 177. in exemplari legum antiquarum legebatur; *Annus duodecimus ſit menſis.* Menſe nempe completo duodecimo, annus finiatur. Quòd ſi alia menſurandorum annorum

rum via finiatur, quæ inde abſurda collegi poterunt, tunc exponemus, cùm Feſulanus quiſpiam aliunde meditatus, quæ in obſcuro nunc ſunt, & latebra, illis modum conſtituet.

CVII. In annis Chronologicis illud item dignum admiratione eſt, annos omnes eſſe integros, & præcisè tunc expletos, nullum inchoatum, vel ita completum, vt iam annus ſubſequens per plures, aliquoſue menſes eſſet inceptus, quod licet alibi quoque obſeruaremus, ſed in paruo generationum numero; parua quoque annorum differentia cùm internoſcatur; minutula iſthæc dierum fruſtula Scriptorem non curaſſe putamus. Et veriùs etiam crederem, cùm locis in alijs, & numeratione temporum, menſes, dieſque apponat, inibi, quia non erant, non recenſuiſſe. At in tot Regum ſucceſſoribus, & 1668. annorum interuallo, omnes Reges, non interruptis, ſed ſuis partibus abſolutis annis, Regni finem poſuiſſe, ipſe non credam. credat cui omnia ſine vllo examine benè ſapiunt, & benè olent.

CVIII. Vis tandem, Lector, antequam

requã finem faciam,Feſulanum hunc penicillo deſcribam, vt, quanta ei fides adhibenda ſit,ex hoc quoque,nec immeritò, conijcias? Homo eſt loquaciſſimus, quæ enim paucis verbis illius æui Scriptores complecterentur, longiore ipſe ſermone omnibus iñ locis deblaterat: & quæ iam ſatis eſſet vel ſemel innuiſſe, nouis ſemper verborum inuolucris crepat. Hinc illi toties repetitæ commendationes, & ad faſtidium vſque adhortamenta, & earumdem rerum ſpiſſa commemoratio. Hinc penates, cornua, ſalus deſperata, aliaque immaniſſimè, & abſque neceſſitate aggeruntur, inculcanturque formulæ illæ; *obſeſſus à Romanis; iamiam moriturus; repono tibi; cautè cuſtodi; Ne Romanis;* & adeò exoſum illud, *Ego Proſperus Feſulanus Augurum ſcriba, & cuſtos arcis Scornelli*. Septiuoca in Olympia porticus nebulone iſto multò mutior fuit. Leuis, & facilis, & importunus locutor, nullo rerum pondere innixus,in ore tantummodò linguam, non in pectore habuit.

CIX. Dum ſe iactat magnificè, & Familia ſua gloriatur,iactantiæ cri-

men

men incurrit: idemque tenebrio, dum acta electionis ſuæ, perquam prodigiosè effundit, inſolentior exiſtimatur. Hinc ſæpiſſimè ſui immemor, alia, atque alia nec ſibi nimis cohærentia, in Volumine collocat: in Præfatione Operis dicit, ſe à Patre auſpicijs eruditum fuiſſe, idque clariùs exponit pag. 1. *Pater meus me non ſolum Ethruſcam, ſed etiam Græcam, & Hæbraicam linguam docuit, poſteà augurandi artem, & ipſius naturæ arcana*: &, nonnullis interiectis, in eadem pag. ſcribit, Auo, Patreque in Syllana pugna extinctis, ſe cùm vigeſimum ſecundum annum ageret, à Patruo Vulterram miſſum ad Eſarem, qui docuit ipſum omnes ſcientias, ac præ cæteris veram augurandi artem. Bis dices ijſdem artibus, ac diſciplinis inſtructum, non potuit ſcilicet vna nox tantum Herculem extundere. Pag. 2. (neque enim admodum aberrandum eſt ad ſimiles nugas deprehendendas) ait, conceſſione Augurum plures ſcripturas ſecùm detuliſſe, paucas Vulterræ in Gordo remanſiſſe; ſi tamen perplexorum verborum hæc ſententia eſt:

quæ

quæ cum ſcripturæ moleſtia affi-ciunt; & præ earum incolumitate perdere vitam concupiſcit; tanquam qui iam præuideret,eas, vel incen-dio,vel alio infortunio excidium paſ-ſuras, cuperetque, vt apud ſe eſſent: ſic enim vnà cum alijs ſubtus terram conſeruaſſet, ac cuſtodiſſet. Pag. 15. multa Augurum monumenta, quæ apud ſe habebat repoſuit, quòd ad ip-ſum Collegium tranſmittere non poſſet obſeſſus. Quamnam ergo ſcri-pturarum incolumitatem intelligit? ſi eam, quam illis Vulterrana cuſtodia in Gordo promittebat, cur dolet, quòd non omnes habeat? dum ſaluæ incolumeſque ſunt, fruſtra ipſe pro earum incolumitate vitam expone-ret: ſi quam ipſe illis foſſione procu-rabat, ne doleat, ſi tranſmittere in Gordum non poſſit; gaudeat, quod poſſideat, & facultas eas cum diſcri-mine tranſmittendi ſibi denegetur. Pag. 3. *Caſtrum omninò deſolatum iri: ſe aut Romanorum captiuum fu-turum, aut caſurum eſſe cognouiſſe*: cognitio incerta, & dubia. Pag. 112. *Voluntaria morte ad Patres ſuos adi-turum* ſe tradit, quod pag. 114. aper-

tiùs

tiùs dicit ; *Manus , quæ ad mortem properat, ferrum pro calamo commutatura deficit* . & , vt ludat nos ipſe , in non ludendis ſententiola ludit ; *Nam meliùs eſt ſibi manum conſciſcere , quàm in manus hoſtium crudelium deuenire, & precioſiſſimam libertatem perdere* . Dignum tali olla operculum . O Etruſcum,Etruſcorum dogmati aduerſantem ! An illi memoria exciderant , quæ repoſuerat , pag. 235. ? *Stultum eſt ſe occidere propter mortis timorem* . & pag. 229. *Mortem ſibi conſciſcere ignaui hominis eſt* . Eſto itaque Feſulanus Etruſcorum ſententia, & ſtultus, & ignauus . Dicent, dubitaſſe priùs; tandem ad id mortis genus animum appliquiſſe : ſed quod in hoc præuidentiæ genus ? Mulio quiſpiam ſine ſcientia augurali meliùs id peregiſſet: ſcilicet, perſpicua cognitio , alio , atque alio caſu intercepta ! At quantum iſta præuidentia valuit, inde etiam perdiſcimus ; Pag. 272. *Chartam non poſſum habere obſidione vrgente* . At tua tam perfecta cognitione , & Vatum quorumlibet , ſi tibi fides adhibenda eſſet, multò exactiore , tibi anteà po-

teras

teras præuidere, ne potiſſimum vaticinium ſcriptione à tergo pollueretur; quod verè opiſtographum fuit, cùm poſt factum ſcriptum ſit. Sed more ſuo iocatur tam dira lues: in teterrimis enim Scarithis non tantùm chartæ ſcriptæ, ſed multæ etiam non ſcriptæ, quaſi ſcriptarum inuolucra, quas ipſe etiam vidi, in quibus aptiſſimè ſcribi poterat: reperiuntur. Quomodò ergo chartam non habuit, qui tam multa chartarum fruſta, nullo exarata charactere, ſepelijt? Chartam deficere in obſidionibus quis credet? & Feſulano potiſſimùm Antiquitatum Etruſcarum non Exſcriptori, ſed Veſpilloni: chartas enim plures aliorum manu deſcriptas, non à ſe ſcriptas, niſi pauciſſimas, repoſuit; ideòque pro eius ſcriptione quælibet charta ſuffeciſſet; & obſeſſum ſimilia ſepeliſſe narrat idem Feſulanus pag. 3. ne chartę inopia ante *obſidionem, à non nemine ſomnietur*. Diceret neſcio quis, & veroſimiliùs diceret, Luſorem, qui omnia hæc vnus alijs appingendo ſcripſerat, verè quodammodò enunciaſſe, chartam illi defuiſſe; neque enim pro ſuis, quæ

pau-

pauciſſima fuerunt, charta deficere potuit: à Luſore etiam nolente, quando veritas nunquam latet, extorta veritas eſt. Quare ſiue Compoſitoris, ſiue Exſcriptoris munere perfunctus eſt Feſulanus, cui charta non ſufficit, ſemper imponit. Falsò enim, quæ ipſe compoſuit, alijs tribuit, poſteriſque res proprias, tanquam alienas diuendit. Falsò in ijs, quæ ipſe ſolus exſcribit chartarum vario genere, tanquam Auctores ſcripturarum varios, ac multos inſinuat. Item pag. 12. dicit, *Ethruſca lingùa iamiam labitur*, & pag. 267. *Ethruſca lingua peribit*. quod ferè idem eſt; at in vaticinio in Præfatione poſito, *Ethruſca lingua penè obſoleuit*. *Labitur*, & *penè obſoleuit*, an idem ſint, dicat Feſulanus.

CX. Eundem in obſidione, dum mors immineret, in ſeſe conuerſum, ad ſeriora animum fixiſſe, & in atrociſſimis, ſui nempe, ſuorumque internecione à leuioribus mentem, manumque abſtinuiſſe, ſi tamen homo fuit, certò certius eſt, & nobis ipſe indicat, cùm pag. 114. manum deficere tradat; vbi adnotarunt harum

rerum Inuentores, in ipſis ſcripturis trementem ſcribentis dexteram, & ipſos characteres vacillantes agnoſci. At ipſe in tanto diſcrimine iocatur ſeriò, ac ſi abundaret pectus lætitia, & conditis verbulis in inſaniam erũpit; Pag. 274. *Proſper Proſperus eſſem*. Pag. 66. *Si Proſperus has hiſtorias non reponerit, tu non inuenires*. Pag. 245. *Secundam partem ſententiarum idem, qui primam repoſuit, & tertiam reponet, reponit*. Annon otio abutentis, & negotijs vacui, non trementis, ac iamiam morituri hæc ſunt? Ludit nos. Ruit tamen machina luſu ſuo.

CXI. Quantùm porrò à vero auerſus fuerit, vel hinc iudica. Cùm apud alios Scriptores comperiſſet celebres Vrbium conditores, ac fundatores imperij in Cœlum translatos; vt de Nembrote legimus in Chronico Alexandrino; de Semiramide apud Diodorum; de Iano apud alium impoſtorem Annium; de Romulo apud Romanarum Antiquitatum Scriptores; ne ſuus Feſulano Vandimon humi repere videretur, ipſe quoque in Cœlum translatus, pag. 19. eſt: ſed quàm

quàm paruo firmamento, quàm aperto mendacio! De alijs non habemus, vnde conuincamus Scriptores mendacij: de Vandimonis translatione mendacium apertiſſimè Sacræ Literę refellunt; cùm apertiſſimè dicant, Noë mortuum fuiſſe: niſi translatio illa poſt mortem illius fingatur. At quàm multa fingenda erunt pro nugaciſſimo iſto Feſulano! Beda Annotat. in Geneſim, cùm ponderat illud, Quanam ratione in generationibus, quæ fuerunt ante Diluuium, Scripturæ addant illa verba, *Et mortuus eſt*, non addant verò in generationibus poſt Diluuium; *Nuſquam*, inquit, *in tota hac ſerie generationum, quæ fuerunt à Diluuio vſque ad Abraham additur illud*, Et mortuus eſt, *ſicut in ætate, quæ præceſſit Diluuium; quia nemo erat in tota hac complexione naſcentium, de quo, tanquam ex cæteris mortalibus excepto, dici poſſet, quod tunc de Enoch dictum eſt; Ambulauit cum Domino, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Pag. 155. dicit, Sergium Catilinam, optimę indolis adoleſcentem, ciuemque optimum, à calumniatoribus oppreſſum. & pag. 2. quo-

rundam Romanorum iniuria,aut iniquorum, inuidorumque hominum verſutia, & calliditate Roma diſcedere fuiſſe coactum. Quæ edixti Feſulane ementitus es. Romanorum iuſtitia, & æquitas, tot Scriptorum firmata calculo, non laceratur ineptiſsimi nebulonis iniuria: neque credent poſteri, Feſulani ſolo teſtimonio, Catilinam à crimine ereptũ, quem non tantùm æui illius,ſed ſubſecuti etiam omnium nationum Scriptores condemnarunt. & cùm in alijs ſæpiſſimè diſſideant, in Catilinæ tamen peſſimos mores vno ore inueniuntur. An Feſulanum cum Cicerone, Salluſtio, Dione,Plutarcho, alijſque comparem? ò facinus execrandum! ò licentiam, fuſte, lictoreque dignam! Vnde etiam factum eſt, vt in præcipuas, ac nobiliſſimas nationes conuicijs, ac maledictis debaccharetur, & Romanos iniquiſſimos, ſuperbos, inuidos; &, ſub perſona Herculani Mauri, crudeliſſimos,iniuſtos, iniquos, rerum alienarum vſurpatores, & quid non? Græcos mendaces appellaret; alioſque alia infamia dehoneſtaret; nec Vulterranis etiam

etiam ſuis parcens.

CXII. Et, vt tandem abſoluam, annon periurus, & Vulterranarum rerum perditiſſimus hoſtis, qui ob gratiam neſcio cuius, pag. 13. iuſtæ legi obſtitit, & monumenta quæ nulli fas erat videre, nec reuelare, amico repoſuit. & pag. 112. Scripta, à Præceptore ea conditione accepta, vt eam nunquam latinitate donaret, ipſe latinitate donata terræ commendauit? Quid ergo boni, aut veri ab homine loquaciſſimo, leui, ſui immemore, in exitio ſui, ac ſociorum ludente, mendace, maledico, ac ſuis legibus, ac Patriæ infido, expectandum eſt? Ne quid ipſe durius dicam, Feſulanus per ſe ſententiam ferat; Pag. 113, *Nimis loquentibus nihil credas*. Pag. 262. *Mendaces fuge. ſi quis tibi ſuſpectus, fac à te longè abſit*. Pag. 230. *Calumniator, tanquam veneficus, eſt ab Orbe pellendus*. Pag. 232. *Vitium maximum eſt iactantia, iactator nanque ſe laudando vituperat*. I modò, & accommodatiora de Feſulano tuo pronuncia.

CXIII. Quid ergo ex Libro expectandum eſt, cuius locis omnibus

fraudem tam apertam conſpicimus? ſat prudens iudicabit. Tritum apud omnes illud eſt, ἐξ ἑνὸς ἰδὲ πάνθ᾽ ὅρα, *ex vno cognoſce omnia*. & Iſæi illud animo voluimus. ἓν δὲ μόνον ἀκούσαντες τῶν τούτῳ πεπραγμένων, ῥαδίως καὶ τὴν ἄλλην αὐτοῦ πονηρίαν γνώσεσθε. *Vnum cùm audiatis, quæ malè hic geſſit, reliquam eius malitiam cognoſcetis*. non aliter, ac Tullius in Piſonem; *Cognoſcis ex particula parua, ſcelerum, & crudelitatis tuæ genus vniuerſum*. Sic Pytheam Maſſaliotem cùm plerique viderent, vt adnotauit neſcio quis, falſa multa tradidiſſe, etiam de ijs, quæ Gręcis hominibus nota erant, atque explorata; ita cœpit Pytheæ fides eſſe ſuſpecta, vt iam multi non alio loco eius ſcripta, quàm Poëtarum fabulas haberent: & ſanè, cùm in pleriſque rebus, omnibus notis mendacij conuictum Pytheam tenerent, non erat cur putarent docti homines eum veriora ſcripſiſſe de rebus, in quibus ſciſſet non eſſe παρὰ πόδας τὸν ἔλεγχον. Hinc adeò factum eſt, vt ne ijs quidem, quæ à Pythea vera ſcripta eſſent,

ſent, fides ab eiſdem haberetur. Ea enim eſt ſæpè mentientium conditio, vt etiam, ſi quid verè dicant, falſum tamen id videatur: κἂδ᾽ αὐτὸς αὑτὸν ὧδε παιδεύῃς, ait Sophocles de mendace, ὅταν θέλῃς ψεύδῃ χρυσὸς ὀρθώσῃ κακός. Commune quoque eſt illud Iuriſconſultorum axioma, *ſemel malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali.* Quid porrò aliunde argumenta poſcimus? Luſor ipſe ſententiam det; pag. 4. *Semel infidæ nunquam credas.* & pag. 249. *Ne credas ei, quem ſemel infidum cognouiſti, licet poſteà verus, & fidus appareat.* Quid alij concludent, vbi non vnum ſcelus, non vna malitia, non vna fraus, ſed perfidiæ genus vniuerſum conſpicitur?

CXIV. Nugarum nihilominus harum Auctorem nonnulli ſuſpicati ſunt Gulielmum Poſtellum, Virum, & linguarum Orientalium peritum, & ad fingendas Hiſtorias aptiſſimum. Id tamen ſine vlla ratione aſſeritur. Ille quippe ingenti confidentia ad quidlibet audendum proiectus, quid in ſimili agone facturus fuiſſet, Libris, quos de regno Etruriæ edidit, de-

monſtrauit; in quibus licet & Pſeudo-Beroſum, & fabellas Annianas defendat, multaque alia præter communem opinionem ex penu linguarum Orientalium inſinuet, nunquam tamen eò temeritatis deuenit, vt adeò impudenter, effrictaque fronte mendacia tam inſulſa ſpargeret, ſed prudentia, quam à bonorum Auctorum lectione hauſerat, cohibuiſſet temeritatem, ac licentiam omnia blaterandi compreſſiſſet: cuius malè ſanas ſententias, atque inania effata, ſi ad Feſulanicas conferas, Deus bone! quàm cata illa erunt, quàm prudentia! quàm verecunda! Illa hominem ſcripſiſſe diceres, hæc elinguem belluam, inſulſamque. Sanè Poſtellus, homo nequiſſimus, ob malas etiam artes, & violatæ fidei reus, vt fertur, ſecundo iudicio condemnatus, relegatuſque, non ita inſanijt, neque vnquam adeò ſtupidè, infortunatèque in hiſtoria deliraſſet; ſed res à ſemet prudentiori conſilio, & veroſimiliori apparatu confictas, licet ineptiſſimus, & meliorum diſciplinarum ſubſidio, & quod magis eſt, eloquentia deſtitutus; ordinaſſet aptiùs, diſpo-

ſpoſuiſſet comptiùs, & elegantiùs expreſſiſſet.

CXV. Alij, cùm Feſulanus iſte, Vulterrani Gordi, Bibliothecæ nempe; & Scornellianæ Arcis cuſtodem ſe fateatur, non leui coniectura pendunt, eo nomine nobis innui Thomam ex Inghiramia Familia, Phædram, vt ex Eraſmi Roterodami Epiſtola ad Iodocum Cauerum, Leander Albertus in Tuſcia notat, à Phædræ perſona geſta in Hippolyto, Senecę Tragœdia, cùm in Cardinalis Sancti Georgij domo Romæ ageretur, vnde tum maximam facundiæ, doctrinæque opinionem ſibi pepererat, cognominatum; qui, vt in arbore illius Familiæ videtur, aſſeritur fuiſſe Canonicus S. Petri, & S. Ioannis Laterani, Bibliothecarius Apoſtolicus, Eques auratus, Comes Palatinus, & Poëta laureatus. Quidam addunt, famam eſſe, eundem Tabulario Arcis S. Angeli Præfectum quoque fuiſſe. Quare, cùm appoſitè de vtroque iſta dicantur, in eam iuerunt ſententiam, vt Thomas iſte ſub Proſperi Feſulani perſona ſe prodat, & eundem Architectum ſcripturarum exiſtimant, &

L 5 plenis

plenis buccis, tanquam de re certiſſima, teſtimonium ferunt. A quorum ego iudicio non paululum diſſideo: cùm is Vir prudentiſſimus, & bonis literis præditus, ideòque in Curia Romana dignitatibus, ac honoribus auctus, nunquam ad nugamenta iſta animum induxiſſet; neque, qui tantorum Librorum, eorumque non ita omnibus proſtantium, ope, de Republica literaria benè mereri potuerat, adeò effræni audacia ad decipiendos poſteros peruicaciter acceſſiſſet. Vidi eiuſdem, hac occaſione, in Rhetoricam Introductionem, nondum, quod ſciam, publici iuris, accuratam, concinnam, optima eruditione refertam. Laudauit is etiam pro roſtris facundiſsimè Ludouicum Podocatharum Cardinalem, & ipſam Laudationem extare retulit Florauantus Martinellus in Diaconia S. Agathæ in Suburra, cap. 9. Idque eò libentiùs adnotaui, quòd teſtimonio, & iudicio acerrimi harum rerum æſtimatoris videam comprobatum; Ferdinandus enim Carolus, dum Vaticani Montis ſingularia quæque rimatur, & ſuo eloquio illuſtriora facit, in Bibliotheca

Vati-

Vaticana, à Petro ad Vrbanum VIII, ſeruata ratione temporum, deducta, Capite de Bibliothecarijs, omnes artes, quibus ille ſuo tempore magnus habitus eſt, Thomæ concedit. Verba Caroli, quia reconditam hiſtoriam, non ſine noſtræ Bibliothecæ Vaticanæ ornatu, habent, & eloquentiam abundanter ſonant, prolixiora licet, non tamen omnibus obuia, hic exſcribam: *Qui ſunt à nobis enumerati, ſcriptis illuſtres, adhuc ſinguli vigent: ex ijs, qui ſequuntur, Ioannes Dionyſius Venetus, vix nomine notus, interijt: deinde tres Epiſcopi Ioannes Cathalanus Barchinonenſis, Ioannes Fonſalida Hiſpanus Interamnæ, Franciſcus Volaterranus Raguſij ſacris infulis tantùm monſtrati, deceſſere. Sed quidquid in quaternis capitibus Bibliotheca deſiderauerat, Thomas Inghiramius, cognomento Phædra, compenſat abundè, Oratorum æui ſui præſtantiſſimus, Hiſtoriarum elegans ſcriptor, & artium omnium ſciens. Nec poſteà Phædræ prorſus impar Philippus Beroaldus iunior, qui ſibi per literarum decus aditum ſtruxit ad Bibliothecam. Beroaldo*

*ſuffectum Zenobium Acciaiolum Florentinum, probum, doctumque Virum, Græci ſermonis peritiſſimum, labor annuus abſumpſit. Hieronymus Aleander Carnus, Brundusij Præſul, linguarum peritia, multiplici eruditione, prudentia ſingulari Bibliothecam ingreſſus, Zenobij morte vacuam,* &c. Quamobrem Thomam ipſum multò meliùs Feſulano facinus aggreſſurum fuiſſe puto. Ego Antiquitates haſce, cum charta, pice, alijſque additis longè Thoma recentiores iudico: & vtinam non recentiſſimę ſint.

CXVI. Equidem præſagit animus, Curtiū Inghiramium, qui Fragmenta ſimilia in lucem emiſit, hominem catum, prudentem, & veræ antiquitatis, non ſubdolæ, neque efferatę ſtudioſum, & in ea comparanda fortunatum, qualem nobis Scipio Ammiratus Iunior, Notis in Senioris Ammirati Volaterranos, & Feſulanos Epiſcopos demonſtrauit; argumentis eiuſmodi perpenſis, ijſque ſine odio, aut amore examinatis; (nam nihil ſua, nihil Familiæ Inghiramiorum intereſſe ingenuè fatetur) & reliquis inuolucris, ſchedis, literis, & quidquid aliud

aliud hęc monumenta ſeruarunt, quorum copia apud eum non parua eſt, ſincerè dijudicatis, & veritate comperta, ad meam hanc ſententiam vltrò acceſſurum. Indignum quippe exiſtimabit, probum Virum, veritatem, quam mente comprehendit, non alijs etiam, vt ſibi caueant, verbo, ſcriptoq; enunciare. Primo rerum aſpectu, cùm inueſtigandæ veritatis copia non eſt, falli poſſumus, & fallimur; idque à natura ſua genus habet humanum: aſt vbi temporis ope mentis ille primus conatus deferbuit, & rationis lumine res diſcuti cœpta, innotuit, humana id monſtrat conditio, vt errorem, quem ipſi euitauimus, poſteris, vt euitent, ne nobis ipſi iniurij eſſe velimus, proponamus. Habui, quod verum eſſe pronuntiarem. Habui, quo falſitatem, ſed breuiter, & pro temporis opportunitate depellerem: plura ſuppetunt, quæ modò in gremio ſepulta eſſe volui: ea, cùm diſſimulari non poterunt, & vtinam non exſculpta! protinus emergent. Mihi ſanè nihil eſt veritatis luce dulcius, nihil fraudum præſtigijs nequius.

FINIS.

LEONIS

# LEONIS ALLATII DE ALPHONSO CICCARELLO.

*Ex Opere eiuſdem* LEONIS *non edito, De Libris Apocryphis.*

TANTAM rei literariæ luem, ac peſtem excipit Alphonſus Claudij, & Trapeiæ Filius Ceccarellus, ſiue Ciccarellus, tumultuario Vir ingenio, & ad concipiendas fraudes, eaſque committendas aptiſſimo. Annio & ſocijs vti confidentior, ita quoque perniciosior. Annius ſcilicet antiquitatem, denſiſſimas inter tenebras latentem, per compoſita mendacia in abſtruſiorem caliginem coniecit; Ciccarellus recentiorem hiſtoriam, quodam ſuo lumine conſpicuam miſeris modis conuulſam conſpurcat: ille conatu licet inutili, non ita noxio tamen, rem

agit;

agit; cùm nil referat nobis à rebus illis diſiunctiſſimis item & abſtractiſſimis, vera ne an falſa loquatur; hic non ſine iactura veritatis, & Familiarum, ſcelus intentat, & perficit; cùm viuentibus imponat laudis lenocinio, & nobilitatis illecebris, & rerum geſtarum, non alienarum, ſed familiarium claritate, quibus natura ſua genus humanum rapitur; & licet falſa eſſe, quę proponuntur, manifeſtò deprehendat, quia tamen glorioſa, ſuaque ſunt, ea, quam nunc fidem apud Viros prudentes non habent, habitura tamen in poſterum ſucceſſu temporis æſtimans, apertis vlnis libentiſſimè excipit, & ſtudiosè fouet: ille rem incertam deturbat; hic iam patentem, & multis proborum Virorum teſtimonijs confirmatam hiſtoriam dearuat, detruncat, ac planè extinguit. Non narro ſomnia. Hiſce noſtris temporibus, quæ à Ciccarello non ita longè abſunt, ex vili plebecula non minima pars, & ex illis, qui ſe diſciplinas ingenuas profiteri fatentur, quique nobilitatem inhiant nonnulli, fraude hominis nondum comperta, adeo laboribus Ciccarelli ad-

dicun-

dicuntur, & fidem præſtant, vt in rebus enarrandis, & Familiarum ſtemmatibus digerendis, præ vno Ciccarello, illiuſque monumentis, quæ ſemper in ore habent, & diligentiſſimè ſibi conquirunt, nullus alius teſtis illis potior ſit. Prudentes rem vident, & ſtupent, & non ſine lacrymis, quandoq; etiam irriſione hominum vecordiam deteſtantur: cupiuntque Libros aboleri, ſed fruſtra quando iam illi anxiè tanquam Theſauri exſcribantur, & in Bibliothecis etiam, ſi Dijs placet, locum habeant. Fraudem ipſe aperiam, vt in poſterum ſimile hominum genus, qui tantùm tribuit Ciccarello, deſinat ineptire.

Ciccarellus medicinæ primùm munus exercuit, ex quo ſe ad hiſtorias componendas, tum inſtrumenta, illiuſque generis ſcriptiones contulit: neque muneris æmolumento contentus, ſpe maioris lucri ad ſcelus, & facinus animum conuertit: hinc pecunias congerens Familiarum ſtemmata digerere aggreſſus eſt, quæ, vt ſpectabiliora faceret, ad antiquiſſimam originem referebat; & cùm ex hiſtoria non ſuppeteret ſeries, ex

capite

capite ipſe ſuo Maiorum nomina fingere, inter quos,& Summos Pontifices per vim trahere, & Cardinales, qui nunquam fuerunt,pro libitu creare; Vrbium, & terrarum Dominos, Copiarum Ductores ſtatuere, dictisq; ſuis fidem comparans,Imperatorum, ac Pontificum Diplomata, ac Priuilegia componere, quibus Familiarum nomini, & quos ipſe ſomniarat, Heroibus robur addebat: ac tandem, ne Hiſtoricorum teſtimonia deeſſent, Auctoribus, qui iam erant, multa de ſuo addere, multa decurtare; Hiſtorias etiam hæc eadem pertractantes ex integro componere, illiſque, ne ſine nomine vileſcerent, nomen appingere; quibus ſua dicta eiuſmodi confirmaret. Mox ne omnia innouare videretur, nominibus proprijs, quæ ſine cognominibus incerta vagabantur, quæ ſibi placebant cognomina, palpum minùs cautis obtrudens, apponebat; quod illi ſæpiùs à Principe Maſſæ, cùm in Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo id quoque pertentaſſet, Cybis illum adſciſcens, obiectum eſt. Mirum dictu quantùm ipſe ſimili fraude profecerit! Præci-

pua-

puarum Familiarum ſtemmata,& Vrbium origines hoc eodem dolo conſcripſit.

Hac mercatura non imi tantùm, ſubſellij homines, ſed è nobiliſſimis quoque, ac ſummis Familijs collucentes, dum ſtirpis originem in antiquitate ipſa obſcuram minimo diſpendio in lucem erutam vident, proni omnes ferè in Ciccarelli ſtudia ſe dedunt, & de ſuo genere apertiſſima poſcunt oracula, adeoque ſtemmatum tabulas ex hoc fœçulentiſſimo fonte, neglectis proprijs, ac veris conquirunt: & Ciccarellus generum arbiter, de hoc, atque alio, vt ipſe de eo maiora, vel minora, mercedem tamen exæquantia, ſomniarat, effundere, diiudicare, ſtatuere, ad hunc, atque illum progenitorem pro libitu amandare. Sed cùm in negotio arduiſſimo nimis clara, quæ ipſe effutiebat, aliquod poſt tempus, quibus id negotij erat, viderentur, primùm quidem ſuſpicio conflatur, deinde ſermo, ac fama: quare vnà ferè omnes à Ciccarello dictorum teſtimonia poſcere, ſcriptores, quos ille ad illa confirmanda teſtes aduocabat, in dubium vertere,

tere,

tere, &, an illi vſpiam extarent ſedulò efflagitare. Et inter eos prouidus, ac diuinus, & qui è Ciccarelli nugamentis antiquiſſimam ſuam ſtirpem inquinari magis, quam illuſtrari, examinatis priùs Ciccarelli Auctoribus, deprehendit, Albericus Cybus, Maſſæ Princeps fraudem ſubodoratus, cùm tandem nullo eos firmo ſtabiliri fundamento videret, ſcribit ad Ciccarellum, ac monet, vt de Auctoribus, quos ipſe in medium afferebat, rationem omnino reddat, ſicubi latent, & quo nam in loco conſeruentur, edicat; ſe illis, niſi eos viderit, fidem præſtare non poſſe; verùm ſi fuerint, redempturum eos bis tanto pluris, quàm ipſe vellet. Nonnullas Principis ſententias ex illius autographis ad Ciccarellum Epiſtolis erutas, ex Italico verſas ſermone, vt res magis pateat, apponemus. Epiſtolas Principis cũ reliquis Ciccarelli ſchediaſmatis, autographiſque chartulis, prædicto Ciccarello, dum in carcerem deducebatur, per Curiam abreptis, & poſtmodum in Archiuo Vaticano repoſitis, ex eodem Archiuo, vnà cum Libello ſupplice, prædicto

Archiuo

Archiuo Præfectus Felix Contelorius communicauit. *Reſecandæ omninò mihi videntur, quas ad me dederas, Adnotationes, & potiſſimùm Auctores illi à te laudati, nemini, quod ipſe ſciam, cogniti, nec, vllo modo, licet impensè conquiſiti fuerint, reperti: ſin minus pro laude, ac gloria comparanda, plures dicturos, ſat ſcito, nos fabulas collegiſſe. Quare de hac re ſententiam meam tibi quàm citiſſimè mittam*. &, *Ingenuè fateor: cùm ipſe Auctores, quos in opere, quod ad me miſeras, laudas, varijs ex locis mihi, eorumq; notitiam perueſtigaſſem, haud fieri potuit, vt eos repererim: immo Scipio Ammiratus Neapolitanus, Scriptor Hiſtoriarum optimus, cuius nunc apud Etruriæ Ducem induſtria præclarè ſpectatur, ac degit, ipſa tantùm Librorum, atq; Auctorum huiuſmodi auditione in riſum effunditur: &, cùm ipſe in talibus hiſtorijs per quam exercitus ſit, ſedulamque operam nauarit, nullamque eorum ad hæc tempora notitiam habuerit, fabulas eos potiùs eſſe, quàm hiſtorias arbitratur*. Et alibi, fidem ſibi authenticam poſcit de Anatolio Epiſcopo, Annalium

Græ-

Græcorum Scriptore. Alibi, Priuilegium à Ciccarello miſſum multò recentius videri, inquit, & ſui integritate non eam, quam indicat, annorum enumeratione, præſeferre antiquitatem. Atque his ſimilia in Epiſtolis Principis ad Ciccarellum datis, ne ſingula congeram, paſſim, & vbique ad faſtidium vſque ſcribentis referuntur: fraudem enim Vir prudentiſſimus agnouerat.

Iugurtha etiam Thomaſius, cùm de rebus Senenſibus aliquid meditaretur, nonnulla illi ex hiſce, vel ſimilibus Auctoribus ad Senarum res comprobandas ſuppeditata ſunt, dubius ille quamnam eiuſcemodi Scriptoribus nouis, & inauditis, & quos ipſe non nouerat, fidem adhiberet, Adriano Polito, tunc temporis Romæ degenti, Auctorum nomina numerauit; vt, ſi quid de illis Romæ Literatorum nempe emporio, cenſeretur, nunciaret. Politus amico ingenuè reſcripſit; pro ſuo in patriam amore, & erga ſcribentem amicum debito, quam diligentiſsimè omnia perluſtraſſe, nec quidquam aliud in negotio deprehendiſſe, niſi mera illa

ſomnia

ſomnia fuiſſe, & aperta mendacia: cùm nulli Scriptores illi cogniti eſſent. Id tamen vt meliùs aſſequeretur, Officinas omnes, vbi libri publicè venum exponuntur, maxima cura, ac diligentia luſtraſſe: poſtmodum Bibliothecas, Vaticanam, Columnenſem, Ieſuitarum, Mureti, & Cardinalis Montis Regalis, libris recens auctam inuiſiſſe: & cùm nihil profeciſſet, ad rerum harum peritiſsimos Viros Fuluium Vrſinum, & Petrũ Ciacconum, nullo tamen fructu, recuriſſe: ideoque cùm Seraphini, & Cæſaris Valentini Bibliothecas, tum nouis, tum veteribus Libris, iijſque innumeris, & admodum curioſis prædiuites audiuiſſet, ad eas quoque adirum ſibi paraſſe: tandem Pædagogorum genus omne, & Literatorum conueniſſe, inueniſſeq; nulli eos nec de nomine, nec de opere cognitos. Hinc ſuſpicari ſe, ſcribit, Medici illius, qui ob ſimiles ſcripturarum inuentiones laqueo vitam finijt, fraudem eſſe, & commenta. Neque enim fieri potuit, vt in hac Vrbe, in quam locis ex omnibus Viri præſtantes ingenijs, & doctrinarum omni

genere

genere exculti, tum Greci, tum Latini turmatim adueniunt, Scriptores adeo incogniti extiterint. Adde barbaram, inelegantemque dictionem, & potiſsimùm Gabinij Læti, qui primas ſibi inter eos partes occupat. Et licet ex ijs plerique fuerint, cùm eorum meminerint, & Plinius, & Athenæus, & Ceſarienſis Euſebius, & alij, & res, quas ipſi notant, compoſuerint, eorum tamen opera, & ſcripta hoc tempore nullo in loco reperiuntur. Quẽadmodũ Apollodori Liber, *De origine Deorum* proſtat, non verò, *De cultu Deorum*, aut *De cultu Etruſcorum*. Et hæc quidem Politus ad Thomaſium. Nouarinus præterea Epiſcopus, cùm Nouariæ Epiſcoporum Catalogum à Ciccarello habuiſſet, iteratis etiam literis, ab eo locum, in quonam lateant ſimiles Auctores, expoſcit, cùm eorum in Mediolanenſium Bibliothecis lux nulla, licet diligentiſſimè inquirenti, fuerit. Quid ad hæc Ciccarellus? Dum reſpondet, de alijs omnibus ſermonem habet, de Scriptoribus, nullum. Cùm verò diutiùs reſponſionem non poſſet protrahere, modò hunc Auctorem apud ſe conſeruari,

ſeruari, modò eum nondum habuiſſe, omninò tamen habiturum, cùm pretium depoſuerit; modò Principibus donaſſe, qui tantum Theſaurum ſibi ſolis vindicantes nollent alijs proſtituere; modò ſe ab alijs audiſſe cauſatur. *Diebus elapſis in Oppido quodam Tuderti, Thoſcella dicto, in Euſebij dicti Oppidi Capellani æde in capſa antiqua multi vetuſti Libri, Contractus, Scripturæ, & Priuilegia in charta pergamena reperta ſunt: ipſe à Franciſco Ciotto Meuanate, mihi amiciſſimo certior factus, illàc me ſubitò contuli, & multa ibi comperi Imperatorum, & Summorum Pontificum Priuilegia, inter ea erat vnum Ottonis primi Imperatoris Guidoni Cibo ſcriptum, cuius tibi exemplar tranſmitto; & aliud Honorij Papæ Secundi Familiæ Montimarti, quæ nunc Corbaria dicitur, in quo ſubſcribitur*. Ego Vldaricus Cibo Genuenſis, Presbyter Cardinalis, & SS. Ioannis, & Pauli. *Et hæc omnia Priuilegia ab eodem Euſebio, cùm ipſi maria, & montes promiſiſſem, extorta penes me habeo. & licet mihi magna nonnulli pollicerentur, non ea tamen*

*à me ſibi impetrarunt. Si quid ex his tuo vſui eſſe poterit, tantùm mihi indicato.* Et hæc quidem 5. Decembris Anni 1578. quid verò 21. Ianuarij Anni 1579? Priuilegia ideo videri recentia, quod ſacculo linteo obuoluta in ingenti capſa conſeruata fuere. quæ ita referente ſacerdote, à quo ipſe habuerat, ex Vrbeuetano Archiuo, dum factionum ſtudijs Vrbs conflagraret; clam ſurrepta ab Vrbeuetano ciue, cui Saracinello genus fuerat: is, vt turbas euitaret, in Tudertinam Arcem ſe contuliſſe, tandem vi peſtis oppreſſum vitam finiiſſe: ſicq; Scripturas illas omnes in ea domo remanſiſſe. nec mirum eſſe inter ea Priuilegium de Ciborum Familia fuiſſe, cùm & de Familia Rangona, & alijs pleriſque inibi conſeruentur: tunc enim temporis ob loci ſecuritatem omnis ferè Italia in Vrbem veterem confugiebat. Prætcrea non mirum videri debere, cùm in ea Ciuitate Bonifacius Papa IX. ex Ciborum genere commoratus fuerit: alias etiam ob cauſas Priuilegia illàc deferri potuerunt. certiſsimèque teneat, ea Priuilegia antiquiſsima eſſe; cùm

in

in Sacri Palatij Bibliotheca Scripturæ, & Libri alij Manuſcripti repoſiti ſint ante nongentos, & mille annos deſcripti, qui nunc temporis exarati videntur. Neque in hoc iudicio Lomacij ſtandum eſſe, qui rerum præſentium nullam, tantum abeſt, vt antiquarum cognitionem habeat. Qui verò ea hìc Romæ viderunt, ea veluti antiquiſsima ſuſpicati ſunt. & Dominos de Matelica Ottonis primi Bullam de donatione Matelicæ in iudicium produxiſſe, pro cuius ſolummodò copia vigintiquinque aureos Ciccarello perſoluerunt. quodſi Autographum ipſum habere velint, malè id eos conducturos. Prudens ſe tandem, ac tutum conſilium Principi dare, quo is ſibi, & Familiæ ſuæ cautum fore ſciret. Res ſcilicet omnes, & memorias ſuæ Familiæ à varijs Auctoribus tum editis, tum manuſcriptis, & Annalibus etiam decerptas in vnum Volumen conferat; quod poſtea fide publica firmatum in Ciborum Familiæ Archiuo reponat, nullamque poſtmodum de alijs libris, vnde ea eruta ſunt, curam habeat. Annon iam tenes ſubdolas Ciccarelli technas?

Princeps tamen prudentiſsimus neque hiſce fallacijs permotus, nolle ſe ad eundem Ciccarellum reſcribit vllum Scriptorem, qui ab alijs laudatus, & fide publica dignus non ſit, licet multa,eaque egregia de Familia ſua diceret, in cenſu Familiæ ſuę deferre. Quare verbis perplexabilibus omiſſis, ingenuè de hiſce Auctoribus ſententiam ſuam proferat; eoque potiſsimùm, quòd Cardinali Sirleto ijdem Scriptores ſuſpecti habeantur, cùm à nemine eos inuenerit laudatos. Sirleti ſuſpicionem, Ciccarellus reſpondet,nullam, aut tenuiſsimam eſſe: Sic enim Scriptores omnes in quacunque ſcientia,& arte illi ſcripſerint, refellendi eſſent, cùm, quos illi laudant Scriptores vetuſtiores,ad hęc tempora nulli ſint: illudque ſe præter alia mirari maximè, quòd qui videtur aliquid in literis ſapere talia effutiat:licet enim Scriptores illi hoc tempore nuſquam habeantur, non ideo eos allegantibus fides adimitur, ſed augetur, cùm, quæ ipſi narrant, non è proprijs,ſed ab alijs fide dignis Auctoribus, quod bonis Scriptoribus ſolemne eſt, deſumpſerunt. Sic enim

neque

neque Plinio, neque Plutarcho, neque alijs innumeris, immo Sacris ipſis Oraculis nulla fides eſſet habenda, cùm in ijs plures laudantur Auctores, qui hodie apud nullum reperiuntur, paucisſimique ſint, vel de nomine tantùm noti. Quis enim, vel Librum Iuſtorum, vel Librum Bellorum Domini, qui in Veteri Teſtamento, vel Librum Enoch, qui in Nouo commemorantur, & ex quorum auctoritate fides dictis comparatur, aut penes ſe habet, aut apud alios aſſeruari nouit? ferèque omnes in eam eunt ſententiam hoc tempore nullos eſſe. Quos tamen ipſe allegat, omnes reperiri in Mundi Bibliotheca, verbis Ciccarelli vtor, quam modò typis exornat, & inter alios Fanuſium, & Corellum. Aſſerit in hac re diiudicanda ſcientisſimis Romæ ab Arcis Præfecto oſtenſos, ſumma cum laude approbatos fuiſſe, & ſi alij iniquiores aliter ſentiunt. Sed quod magis eſt; ſe certiorem eſſe redditum ab Epiſcopo Luteuano in Gallia in Diegi Mendozæ Bibliotheca, & in Bibliotheca D.Gulielmi à Choul in montibus Delfinatus Præfecti (riſum te-

neatis amici ) multos ex illis quos ipſe allegat, reperiri .

Tandemque, vt fidem dictis conciliet, ſcribit inter alios penes ſe conſeruari Ioannem Selinum, Laurentium Laurentianum, Fabricium Palmerium, Iacobum de Trano, & Ioannem de Virgilio ; & cùm de ijſdem curioſis perquiſiſſet, in Vrbis Veteris Archiuo Ioannis Selini Compendium, *De rebus Italiæ*, multos abhinc annos in charta pergamena ſcriptũ ; & Ioannis de Virgilio, *De origine Vrbium Italiæ, & Dijs antiquorum*, ſimul cum *Commentarijs in Ouidij Metamorphoſes* comperiſſe. Hinc arguere Scriptores hoſce re vera fuiſſe, maximæque debere eſſe ęſtimationis, ac pretij, cùm multa, eaque ingentia de Italia, & illius Vrbibus contineãt. & alibi dicit de his ijſdem ; apud ſe conſeruari omnes ; & licet anxiè nimis alibi eos conquiſierit, nuſquam tamen eos reperiſſe . Præterea Hortæ inter alios Manuſcriptos, quos ibi habuit, reperiſſe Chronicam antiquam, De rebus memorabilibus Vmbrię, quę Scriptores laudabat potiſſimùm Corradum Eſſium in ſuis Chronicis de

Italia

Italia i Chronicam Dominorum de Brunforte, Ioannem Selinum Attrebatenſem De memorabilibus Italiæ, Eleutherij Mirabelli Ephemeridas Italię, Mauritij Campani Chronicam de Spoletio, Olympiodorum Hamaal de Annalibus mundi, Ioannem Caramanium de Antiquitatibus Orbis, & Epiſtolas D. Gregorij. & Noceria item, quæ ſupra Fulgineum eſt, Chronicam antiquam Italiæ miſſam eſſe, in qua Dominorum de Brunforte Chronicæ laudantur, alijque Scriptores; in ea Italiæ ruinæ quaſi penicillò deſcribuntur. Hinc manifeſtum fieri Fanuſium Campanum, qui eoſdem, & alios Scriptores laudat, re vera fuiſſe, veraque ſcripſiſſe, cùm bona fide dictorum Auctorum verba, ac ſententias, vt cuique patere poteſt, referat. Alibi verò dicit, præter vnum Fanuſium, & Corellum, qui in Bibliotheca Boncompagni ſunt, reliquos in ſua Bibliotheca conſeruari. Alibi etiam Ioannis Selini Librum de Notabilibus, & Memorabilibus Mundi conſeruari in Archiuo Arcis Capitolinæ. Alibi, eum verum eſſe Scriptorem, cùm laudetur à Campa-

no,& alijs: eoque magis quòd in Vrbis Veteris Archiuo Librum compererit hoc titulo, *Breue Compendium Hiſtoriæ Italiæ Ioannis Selini*, & hìc Romæ in Bibliotheca antiqua reperiſſe hos alios tractatus Ioannis Selini, quos alibi abſque nomine Auctoris enumerans ait ſe emiſſe in Campo Floræ; *De Regionibus Vrbis Romæ*, *De antiquitatibus Romæ*, *De Familijs Illuſtribus Romanis*, & *Beroſi Chaldaicam deflorationem*. Præterea Romæ habuiſſe Librum Ioannis Selini, *De origine antiqua Italiæ*, & *De eius incolis ante Diluuium*; & laudari hunc Auctorem à Fanuſio, & Baccarino, qui circa annum Domini 1483. ſcribebat, & à Ioanne Filio Comitis Nicolai de Barbiano.

At verò vt Nugator iſte nugas agere deſinat, ſcias, optimè Lector, Volumen hoc Selini, in quo continentur hi poſtremi Tractatus, quorum meminit Ciccarellus, & fatetur penes ſe cõſeruari ad manus meas perueniſſe: ipſum dum attentiùs examino, illud mihi obuiam fit, de quo ſanè nemo, dummodò oculos plumbeos non habeat, dubitabit, nomen

Ioannis

Ioannis Selini titulis Tractatuum pręfixum, alia, quàm in titulis omnibus, characterum formula, alioque rubenti colore exaratum fuiſſe; vt hinc pateat, Tractatulis illis ſine nomine antea vileſcentibus, ad auctoritatem illis comparandam nomen illud excogitatum, præfixumq; fuiſſe: & fraus magis ex fine Voluminis deprehenditur, vbi cùm ſcriptum eſſet alieno omnino charactere, *Liber Ioannis . . . artbium Scriptoris*; nomen ſcilicet, & cognomen poſſeſſoris, ac domini, qui fraudem fecit, eraſo Ioannis poſſeſſoris cognomine, Selini appoſuit, quod manifeſtò cuique patere poterit: nec alius eſt ille character, quo *Selini* exprimitur, quàm quo Chronica Ioannis Petri Scriniarij ſcripta eſt. Idem enim eſt, qui Chronicam Scriniarij ſcripſit, & Selinum nobis, artium etiam Scriptorem, ſi Dijs placet, ſupponit. Non eſt autem curæ, vt plura hic referamus; ſua ipſe confeſſione Ciccarellus cadit, & fraudem etiam non quęrentibus aperit. Is nanque in Libello ſupplice ad Iudicem apertè fatetur, Chronico illi, ſiue Hiſtoriæ manu-

 ſcriptæ

ſcriptæ ex Archiuo Monaldi Monaldeſci erutæ,& ex qua Cyprianus Manens ſuam deſcripſerat Hiſtoriam, quòd nullum Auctoris nomen præferret, nomen Ioannis Selini,cùm antea nullum eſſet, præſcripſiſſe. Quanam ergo ratione fieri potuit, vt Fanuſius Campanus, Baccarinus, Nicolaus de Barbiano, alijque qui multis annis hoc Ciccarelli commentum præiuerunt, Ioannem Selinum & laudare, & illius dictis dicta ſua conſtabilire, ſententiaſque verbatim ex integro deſcribere potuerint? Si dicat Ciccarellus, Selini auctoritates tantummodò dictis Auctoribus, qui antea extabant, addidiſſe, cætera omnia vti priùs erant reliquiſſe: quid igitur nobis obgannit, & Selinum ſuum tantopere diuenditat? ipſe falſario non credo. Si lucri cauſa Scriptorem nobis integrum Ioannem Selinum ſuppoſuit,&reliquosAuctores dictis illius immutauit, cùm nunquam lucri ſitis ex illius pectore egeſta ſit, nunquam non ſimilia inhiaſſe, & præſtitiſſe exiſtimandus eſt.

Quid plura perſequor? Ipſe palam de ſe dicit in eodem Libello, Auctoribus

ribus multa ex alijs addidiſſe . & ad Principem Maſſæ ſcribit, Corellum, & Scagliam, vt vt eo tempore erant, ab ipſo fortè ita digeſtos, & compoſitos, typis poſſe in vulgus emitti: non item Fanuſium, qui nondum multarum rerum additione auctior, & ſpecioſior factus fuerat. Quid pro alijs Scriptoribus reſponderit, infra in enumeratione ſingulorum dicemus. Sed cùm tandem Ciccarellus acre Principis in hiſce diſcernendis iudicium ferre non poſſet, dubitaretque ne iniecta in alios tragula ipſe deprehenderetur, iram ſimulans, quòd illi fides non haberetur, ab amicitia ſe tanti Principis retraxit: minatus, cùm iam videret ſua non placere ſtudia, ad alium ſe animum conuerſurum, curaturumque, ne in Hiſtoria, quam ipſe moliebatur de Familijs Illuſtribus Mundi, Ciborum Familiæ aliquod extaret monumentum.

Cùm præterea ad quæcunque comminiſcenda eſſet aptiſſimus, ingenioque polleret, ac ſtudijs, vt ipſe de ſe iactabat, fœcundiſſimis, ad alia quoque animum vertit, & Aſtrologiæ operam nauans de rerum euenti-

bus vaticinia temerè proferre eſt auſus: & vt hic etiam felicioribus conatibus rem aggrederetur varijs Aſtrologorum, tum Græcorum, tum externorum accerſitis nominibus, Aphoriſmos Aſtrologicos è Græca, vel Arabica, vel Chaldæa lingua, vt mentiebatur, traductos, quibus iudicia niterentur ſua, confinxit, & alijs diuendidit. Hinc, vt rideas, varijs de futuro Pontifice, ſed ijſdem formulis ad ſeniores Cardinales, & quos Pontificatus ſummi ſpes alebat, conſcribit Epiſtolas, monens, vt veluti ſingulare quoddam ſecretum in latebris cuſtodiant, nec niſi poſt conſecutum Pontificatum illi oſtenderent; qui teſſeram adferret ſimilem teſſeræ literis appoſitæ. Ita per omnia viam ſibi ad parandum lucrum inſtruebat.

Verum enimuerò nugiuendulus iſte in rebus ſimilibus, & natura, & voluntate, &, quod magis eſt, iam conſuetudine inualeſcens, ac veluti callum diuturna cogitatione obducens, neglectis ſtemmatibus, tanquam minoris momenti. ad maiora facinora manum, & mentem improbè applicat; ideoque varia Inſtrumenta,

menta, quibus Familiarum bona ſu-
ſtinentur, confingens, hos quidem
bonis expoliat, alios auget, ac ditat:
tandemque ſcelus non ferente Ne-
meſi, dum Inſtrumenta ſimilia variè
agitantur, examinanturq; Fideicom-
miſſi cuiuſdam, ab eodemmet confi-
cti, falſitate deprehenditur, deprehen-
ſuſque Ciccarellus in phylacam ſub
Gregorio XIII. rectà abducitur; is
cùm crimen non negaſſet, falſitatis
reus ad ſupplicium ducitur, eumque
carnifex, priùs exciſa manu, ad pa-
lum alligatũ laqueo præfocat, & exa-
nimato ignem ſupponit. Alij tantùm
capitis condemnatum dicunt. Scru-
pulum exemiſſet de illius morte Hi-
ſtoria ab Adriano Polito Viro probo
conſcripta, cuius ipſe meminit Epi-
ſtola ad Iugurtham Tomaſium, ſi il-
lius copiam nanciſci potuiſſemus.
Quomodocunque tamen ſit, *famoſa
morte*, hoc eſt letho malo publico in
Theatro emoritur; vt ipſe in ſuę ge-
neſeos Themate de ſe diuina mente
multò antea præſagiuerat.

Dicti mei teſtem nullum alium
mihi præ Ciccarello ipſo aduocabo,
qui

qui hæc omnia in Libello ſupplice, Italicè ad Iudicem dato, quo ſe ab his impoſturis defendere conabatur, ſine vlla ambiguitate, aut inficiatione, confitetur: cuius Libelli ea ſententia Latinè fuerit. *In Actis pleraque continentur, quæ ipſe confeſſus ſum: inter ea eſt,* Donationis Cõſtantini Imperatoris Confirmatio à Theodoſio Imperatore facta: *nam cùm ipſe in varijs Hiſtorijs, & Annalium Eccleſiaſticorum monumentis, alijſque innumeris Libris, dictam Conſtantini Donationem Silueſtro primo Pontifici factam veriſſimam eſſe comperiſſem; percuperemque Scriptorum veterum, & recentiorum de ea ſcribentium teſtimonia in vnum veluti faſcem colligere, poſtmodum edere Tractatum, De vera Donatione Conſtantini contra negantes, & exprobrantes eam: quandoquidem Bruſatus in Conſilijs, De Donatione Conſtantini, num. . . de communi aſſeuerat negantem eam eſſe Hæreticum, & ipſe item legeram, Theodoſium eam Papæ Siricio confirmaſſe; in fauorem Eccleſiæ, pro veritate, ex veris Hiſtorijs compilaui illud*

*Priui-*

*Priuilegium: Licet enim & maximè in fauorem Eccleſiæ elicere veritatem, non ſolùm ex veris, & Canonicis Libris, ſed etiam ex Apocryphis, vt probatur per Gloſſam Nicolai de Lyra in Epiſtolam Canonicam Iudæ Apoſtoli, in qua Apoſtolus allegat Librum Enoch, qui Liber eſt Apocryphus; & etiam Iacobus de Voragine lib. de Vitis Sanctorum, & multi alij Theologi allegant libros Apocryphos pro confirmatione veritatis. Quare nec ipſe reprehenſionem incurrere debeo, dum aliorum veſtigia ſequor, qui in proprijs hiſtorijs, ac monumentis multa à ſeipſis conficta interſerunt pro confirmatione veritatis. Immo ex ijs fuere plurimi, qui res non veras ſcripſerunt: exempli gratia vnam hic referam, eamque maximi momenti. Manifeſtum eſt in nullo Euangeliſta, qui tamen ſit approbatus ab Eccleſia, haberi Pilati ſententiam contra Chriſtum, & tamen multi eam confinxerunt, moti tantummodò verbis illis, quæ in Sacro textu leguntur,* & ſedens pro tribunali lauit manus. *Inter alios Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in Quadrageſim. Cap. De Paſſione,*

*Paſſione, vnam pro arbitrio fingit; Paulus Burgenſis in Paulina, alijs expreſſam verbis aliam comminiſcitur; & Landulphus de vita Chriſti aliam; & alij aliam. Contra eos pronunciat Valerius de Bononia in Hiſtoria de Paſſione D.N.I.C. Pilatum in Chriſtum nullam ſententiam protuliſſe, quam vtique Apoſtoli non tacuiſſent; diuina ſiquidem ſapientia nunquam id permiſiſſet, quod certò tenendum eſt, vt Filius ſuus innocens ſententia humana definitiua condemnaretur: & tamen ea pro vniuſcuiuſque libitu componitur; neque propterea illius Scriptores reprehenſioni obnoxij fuerunt, tantum abeſt, vt pœnas perſoluerint: & ipſe qui rem veram aggreſſus ſum, ex Hiſtorijs veris depromptam in fauorem Eccleſiæ pro veritate, in iudicium vocor. Memini me legiſſe, & palam eſt, ſub Ioanne 22, cum Hiſtoria Donationis Conſtantini in controuerſiam vocaretur, fortunatum eum exiſtimatum, qui pro ea ſcriberet, multoſque eam ſub diuerſis verbis confeciſſe, quæ omnes admiſſæ ſunt, Auctoreſque remunerati. Et pro Eccleſia, & in fauorem Eccleſiæ omnia*

*nia*

*nia facienda ſunt, & potiſſimùm quæ vera ſunt, pro confirmatione veritatis contra Hæreticos. Legi præterea, tantùm eum mereri, qui pro Eccleſia ſcribit, quantùm ille, qui contra infideles, dum Cruciata publicatur, arma ſuſcipit. Meum porrò ſcopum fuiſſe, & eſſe catholicum liquidò conſtabit ex eo Libro, cui*, Scala de Regno catholico S.R.E. *nomen dedi, & inter alia ingenij mei monumenta repertus eſt.*

*Confeſſus præterea ſum, nonnulla me Imperatorum demortuorum Priuilegia compoſuiſſe: id verò molitus ſum ad decorem Familiarum: nanque cùm inter legendum reperiſſem prædictas Familias multis à dictis Imperatoribus gratijs fuiſſe cohoneſtatas, ea ad aliorum exemplar cõſcripſi, quemadmodum multi alij Hiſtorici fecerũt, qui de Familijs nobilibus, atque illuſtribus pertractantes, multa compoſuerunt Priuilegia; qualis eſt Franciſcus Roſieres in ſtemmatibus Lotharingiæ, VVolfgangus Lazius in Lib. de tranſmigratione Gentium, Franciſcus Sanſouinus in ſuis Hiſtorijs, Scipio Ammiratus, Lucas Contilis, & alij*

*alij Scriptores, & Hiſtorici: ideoque neque ipſe reprehenſionem mereor, neque notam falſitatis ſubeo, quoniam non id peregi contra veritatem, ſed pro veritate in fauorem nobilium, & illuſtrium Familiarum, neque in praeiudicium Imperij.*

*Confeſſus ſum me Libros aliquos antiquos ſine nomine habuiſſe; inter eos vnus eſt, quem à Monaldo Monaldeſco acceperam ſine nomine, antiquus, & in charta pergamena ſcriptus; ex quo Cyprianus Manens integram ſuam exſcripſit Hiſtoriam, ſibique adſcripſit, ipſe verò cùm librum ſine nomine inueniſſem, Ioanni Selino adſcripſi, Auctori antiquo, non mihi vindicaui; quod multi alij faciunt, qui Libros ſic repertos ſibi tribuunt, maiori ſanè crimine, vt adnotat Gulielmus Budaeus Annotat. prioribus in Ius Ciuile aduerſus Angelum Politianum, qui, tanquam ſuum, Librum Plutarchi de Homero euulgauerat, ſicuti multis alijs mos fuit.*

*Confeſſus ſum multa me ingenij mei monumenta ſub aliorum Auctorum nomine edidiſſe: id verò falſitatem non arguit; nanque id ipſe egeram, quod*

*quod aliàs homines ingenui, & non illiberales fecerunt, qui in aliqua ſcientia conſcripta Opera; ſub Auctorum illuſtrium nomine euulgabant, vt videre eſt de multis Libris, deque Hiſtoricis, Philoſophis, Theologis, Medicis, & alijs alias diſciplinas pertractantibus. Marcus Marcellus Romanorum nobiliſſimus item & eruditiſſimus, quidquid ſcribebat ſub aliorum nomine edebat. quod benè factum eſſe nemo inficiabitur: ſic nanque dum alterius iudicium examinatur, quantum ipſi valeamus conſpicere poſſumus, hacque eadem ratione faſtum, & ambitionem, & de noſtra ſapientia inflatam cogitationem amolimur: in quo ſemper ante oculos dictum Socratis habendum eſt,* Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire.

*Confeſſus ſum nonnullas Genealogias ad modum tranſumptorum confeciſſe: eas ex Auctorum approbatorum Libris, alijſque ſcripturis erui; idque ideo feci, quod in alijs etiam me vidiſſe recordor, mente non mala; ſtabilire enim fulcireque veritatem cum veritate non eſt alienum à iure; quoniam non fit contra veritatem,*

*neque*

*neque in præiudicium alienum, ſed in honorem Familiarum illuſtrium.*

*Confeſſus ſum in nonnullis Libris aliqua addidiſſe. Aio me res veras addidiſse, ab Auctoribus veris excerptas; idque peregi, quod omnes Hiſtorici, Scriptores, & Doctores fecerunt, & faciunt: cùm in qualibet ſcientia poſſint fieri Appendices, Additiones, & alia pertractantia de eadem re.* De Nobilitate Romana, Hiſtoriam *compilaui, tribus Tomis diſtinctam: eam ex monumentis varijs Auctorum, & Scripturis mihi à varijs Nobilibus aduectis, vt vnà ſimul omnia concinnarem, collegi. Si quid ipſe de meo addidi, pro veritate id dixi: cùm quidquid de Romanis dicitur infra eorum dignitatem ſit, nec tantùm de ijs dici poſſit, dici quantùm debet; cùm totius Orbis nobilitas ab vna tantùm nobilitate Romana profluxerit, vt apud varios Auctores legitur, & Hiſtorias tum Græcas, tum Latinas, ac Monumenta alia antiqua, & recentiora. Nec dictis meis argumenta deerunt, ſi quis ea attentiùs examinare voluerit. His adderem, in hoc, & in alijs rebus, dum laudes exequor, gloriamque Familia-*

*rum*

*rum prolato , & in eorum decorem omnia in vnum coarcto ; quod cæterì Hiſtorici , & Scriptores in rebus ſimilibus perfecerunt , id idem me quoque peregiſſe : illi etenim, vt laudent, res amplificant , laudandique modos omnes proſequuntur. Quinimmo qui Hiſtoriam ſcribit, ſemper laudibus inhærere debet , multaque ſimul in vnum aggerere, ex ipſis coniecturis eruta. Quod, ſi ad nibil aliud conduceret, poſteris ſaltem deſeruiret, qui, cùm rectè facta maiorum percurrunt , in id incumbunt, vt ne à conteſtata maiorum virtute degenerent: & Socrates illud continuò in ore habebat* , ſemper benè dicendum , ſcribendumque eſſe de Familijs . *Præterquamquod gloria propria hominis eſt, eaque poſteris quoque eſt adiumento . Et Cato minor aſſerebat* , Maiorum ſuorum gloriam in cauſa fuiſſe, cur ipſe virtuti, ac glorię operam daret . *Quodſi Romani huic præcepto , adeo neceſſariò non attendiſſent , haud facile diiudicari poſſet, quanam ratione tot eorum proſtarent memoriæ : ideoque nunquam Romana nobilitas finem habebit, nec habitura eſt vnquam . Quare ſi quid-*

*piam*

*piam Auctor de Familijs illuſtribus pertractaret, quarum ipſe opprobria proſequeretur, ortuſque illis viles, infameſq; aſſignaret, næ ille hominibus gratus nunquam accederet. Quodſi ipſe id ab eo factum deprehenderem, non tantùm infamem, ſed punitionem etiam dignum illum reputarem, quemadmodum, quibus in pectore mica ſalis eſt, reputant. Nobilitas quippe quàm maximè homini propria eſt, mirumque eſt, quantùm homines, dum ſe & nobiles, & laudatos propalari vident, (quemadmodum ex cauſis, quare nobilitas hæc in mundum veniſſe aſſeritur, colligitur manifeſtè) delectantur, ac geſtiunt. Ieſus quoq; Chriſtus ſeruator noſter, ex nobili ſtirpe, vt ex Sacro textu demonſtratur, ortum duxit. Idq; ſemper inter legendum occurrit, tum ſanctas, tum profanas omnium populorum nationes nobilitatem in maximo pretio habuiſſe: recordorque probè Callæcos populos, qui neque Deum vllum, neque Numen venerabantur, Nobilitatem adoraſſe, reliquoſque Deos præter hanc vnam neglexiſſe. Hinc Sapientum duo illa effata, quæ impugnari minime poſſunt;*

No-

Nobilitas eſt bonum incomparabile; & , Nobilitas eſt gloria immemorabilis.

*Confeſſus ſum , me multas multarum Familiarum nobilium , & nonnullarum Italiæ Vrbium Hiſtorias conſcripſiſſe . Aſſero me non alia ratione eas compoſuiſſe, quàm ea, quæ in ijs Auctoribus , & Scriptoribus , quos ipſe laudo, reperitur : quod vnicuique liquere poterit , pro veritate . Quòdſi rem adauxi , more aliorum id feci , qui ſimilia non alio modo pertractarunt , quique etiam regulas eiuſdem rei tradiderunt , & quotidie tradunt . His præterea addo , ſi rebus , quas ex coniectura , aut veroſimilibus fingimus , falſitatis , aut erroris nota inurenda eſt , omninò omnes Hiſtoricos tum veteres, tum recentiores, & , qui quotidie ſcribunt , à tali nota non futuros immunes : cùm non ſimilia tantùm in illis habeantur . ſed , quod peius eſt , errores manifeſtiſſimi . Quicunque enim ſcribit , errat; & neceſſitate quadam, aut hoc modo,aut alio in errores labitur . Veruntamen cùm errores illi non ſint in Fide , neque in ijs , quæ creaenda ſunt ex præſcri-*

*pto*

*pto Fidei Chriſtianæ, & Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, non ſunt errores notatu digni, neque in aliquo pretio habendi; niſi in nonnullis rebus, quæ penitus ſunt à veris, & à veroſimilibus, atque à coniecturis alienæ. Quapropter illud attendendum eſt, me pro veritate, & recta mente omnia molitum fuiſſe. Quod ad Fideicommiſſa pertinet, attendendi ſunt, qui me inſtigarunt, & ſeduxerunt, aliæque cauſæ, quæ veſtram erga nimis in hiſce rebus pertractandis incautum miſericordiã requirunt, atque efflagitant. Oro Perilluſtrem Dominationem veſtram, vt dictis à me animum conſideratiùs attendat, &, ſi quid in alijs dubij reliquum eſt, vel quod ſibi animum ſollicitet, ad me referat, cui ipſe Deo fauente reſpondebo.*

Aſtum, & technas Ciccarelli, miramque in confingendis Inſtrumentis, ac Literis Apoſtolicis induſtriam ita exagitauit nonnullos abhinc annos Iacobus Grimaldus Opuſculo de Sacroſancto Veronicæ Sudario, & Lancea. *Suſpicati ſunt nonnulli Nicolai Rentij, & Caſtaldi Metallini Libros eſſe in multis nouos, additis Commentis*

*mentis ab Alphonſo Ciccarello , qui acuto ad malum ingenio in adulterandis, & de repente in lucem edendis falſis Literis Apoſtolicis, Inſtrumentis, memorijs antiquis, characteres imitando, obſoleto dicendi ſtylo, chartam pergamenam certis adhibitis ſecretis, antiquam repreſentando, mortem ſibi obtruncatione capitis in area Pontis Adriani iure, & meritò ſub Greg. xiij. comparauit*. Et Ferdinandus Vghellus, De Antiquitate, & Hiſtoria Eccleſiaſtica optimè meritus in luculentiſſimo Opere, Italiæ ſacræ, ſeu; De Epiſcopis Italię Tom. 1. Vbi agit de Epiſcopis Peruſinis. *Hic Ciccarellus ægri capitis videtur ſomnia adferre, dum hunc Rodulphum Paſchalis Secundi aſſerit fuiſſe Cardinalem. Ciccarellum ſat fuerit ſub Gregorio xiij. Pontifice Maximo peruerſæ Hiſtoriæ capitis luiſſe pœnas, quo minùs iam mortales illum maledictis exagitent, memores ſortis humanæ, propriæque imbecillitatis, quæ nullum non ſcelus admittit, vbi ſemel cæcatam rationem deprauati ſenſus obducant*. Vides quot, & quanta Vir iſte in adulteranda Hiſtoria auſus ſit, non aliorum teſtimonijs,

& coniecturis, ſed ſuiſmet etiam dicto, & confeſſione conuictus?

Futilibus illius excuſationibus reſponſio in promptu eſt. Sed nolo *reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.* Per me illæ ſint, vt volet; nil moror. Id nihilominus certum eſt, ex eiuſdem hoc ſupplici Libello, multa eum confinxiſſe, multa alijs appinxiſſe, & monumenta ſua ſub aliorum nomine edidiſſe. Quinam verò ſint ab eo Libri confecti, vt ne ex iſta naſſa quiſquam ſibi vnquam contemptiſſimam æque, ac pernicioſiſſimam eſcam petat, hic exponemus; idque tribus Indicibus. In Primo apponentur ſcripta ipſius Ciccarelli, ſiue typis edita, ſiue manuſcripta; ea etiam adnectentur, quorum apud eundem Ciccarellum, vel alios mentio aliqua extat. In ſecundo digerentur Libri eiuſdem Ciccarelli manuſcripti, quos ipſe dicit conſeruari in ſua Bibliotheca. In Tertio Catalogus Scriptorum, quos ipſe ſuis in Operibus ad corroboranda, quæ dixit, adducit; non quidem omnes ſed ij potiſſimùm, quorum Opera vel iam non extant, vel ſuſpectam fidem eſſe in Operibus, quæ lau-

dantur

dantur exiſtimant Viri probi : additis vbi fieri poterit ex eiuſdemmet Ciccarelli autographis Epiſtolis depromptis ad maiorem Scriptorum notitiam, Adnotatiunculis, ſicque Caput hoc de Ciccarello concludemus.

Ciccarellum verò fuiſſe, vt id quoque addam, ingenio faceto, & feſtiuo, vel ſola Inſcriptione, quam in vxoris nondum demortuæ monumento apponendam ediderat, deprehendimus ea ex ipſius Autographo eſt:

*Alphonſus Ciccarellus, Meuanas, Ciuis Romanus, ac multarum Ciuitatum Italiæ Patritius benemeritus, Eques, & Comes Palatinus, Imperiæ Ciccolæ cõiugi incomparabili, dulciſſimæ, pientiſſimæ, caſtiſſimæ, quæ vixit annis . . cum qua vixit annis . . . omnis cum magna dulcitudine, ſomno æternali ſacrum fecit.*

*Inuide quid gaudes, illa hic mihi mortua iacet,*
*Illa meis oculis aurea ſemper erit.*

*Scriptorum ipſius Ciccarelli, ſiue Typis editorum, ſiue Manuſcriptorum. adduntur etiam ea, quorum apud eundem Ciccarellum, vel alios mentio aliqua extat.*

OPuſculum *De Tuberibus*, Patauij ad inſtantiam Ludouici Bozzetti. in 8. 1574. cum eodem editum eſt aliud Opuſculum *De Clitumno flumine celeberrimo*.

*Dell'Hiſtoria di Caſa Monaldeſca, Libri cinque.* in Aſcoli appreſſo Gioſeppe degli Angeli 1580. Addidit, *Dell'Origine d'Oruieto*.

Relatum eſt mihi eundem typis edidiſſe, *Originem, & Hiſtoriam Familiæ Boncompagnæ*. Ipſe eam nondum vidi.

Et hæc quidem ipſius edita ſunt; non edita verò,

*La Sereniſſima Nobiltà dell'Alma Città di Roma, Tomi tre*. Conſeruantur in Bibliotheca Vaticana. num. 4909. 4910. 4911.

*De Hiſtoricorum ordine, & colle-*

*ctione*

*ctione ſecundum tempora, quibus floruerunt*, ſeu, *Bibliotheca Hiſtoriarum*. Sunt præcipuè nomina Auctorum Claſſicorum, inter quos miſcet Auctores à ſe compoſitos. in eadem Biblioth. num. 5312.

*Scala, & ordine dell' Hiſtorie d'Oruieto*. in eadem Biblioth. num. 5311.

*Hiſtoria Eccleſiaſtica Eccleſiæ Mediolanenſis*, in eadem Biblioth. num. 5310.

*Variarum Lectionum*, Volumen ex eiuſdem Autographo deſcriptum in eadem Bibliotheca. num. 6215. in eo hęc potiſſimùm continentur: *De Meuania, Camerino; Aretio Etruriæ, Luca, Mantua, Callio, Ancona, Ferraria, & eius principatu, Macerata, Cluana*, quæ ſecundum nõnullos hodie appellatur *ſan Lupidio, Placentia, Centum Cellis*, ſeu *Ciui ta Vecchia, Firmana ciuitate Vmbriæ, Ciuitate de Penna, Trabia oppido Vmbriæ, Ciuitate Nepeſina, Tipherno*, quod *Ciuitas Caſtelli* dicitur, *Corneto, Senogallia, Eugubio, Arimino; Melita Inſula*, quæ nunc *Malta* dicitur, *Nurſia, Balneoregio, Vellumbis, Tiburtinis, Inginis*,

*nis, Sabinis, Velinis, Sabellis, Aboriginibus, Mandalanis, Cruſtuminis, Fidenatibus, Patrimonijs D. Petri, & Principum donationibus, de antiquitate, & nobilitate Nobilis Familiæ de Ratta Bononienſis*, & Italicè, *Della Città di Siena*, &, *Diſcorſo ſopra la ſacra Militia delli Cauallieri della tauola ritonda*.

*De origine Ciuitatis Tipherni*, Tractatus, quem ſcripſerat anno 1573. menſe Iunij. apud Abbatem Ferdinandum Vghellum.

*Genituræ diuerſorum plurimæ*, in vnum faſcem redactæ. In Archiuo Vaticano. quas antea in volumen redegerat Alphonſus ipſe, in pleriſque addito diſcurſu ſub hoc titulo, *Natiuitates, ſeu Genituræ, plurium Magnorum, & illuſtrium Virorum, Dominorum, Cardinalium*, &c. appoſuit ſuã, Vxoris, & Filiorum, in Vatic. Num. 6156. quemadmodum & Numero 6158. continentur, *eiuſdem Natiuitates Heroum Mundi*. Item, *Prognoſtica temporum ab anno* 1580. *vſque ad annum* 1606, vt præſefert Titulus, de quibus ea præfatur Vrania ad Dametam,

*Accipe*

*Accipe Dameta Prognoſtica docta ſororis*
*Calliopes tutum, ſi cupis eſſe pecus.*
*Nam docet hæc illi, quæ noxia ſtella minatur.*
*Quaue fauet referat, cõſiliumq; Dei.*
In eodem Volum. ſubnectuntur, *Liber Reuolutionum mei Alphonſi incipiendo ab anno Domini* 1578. *& anno ætatis meæ* 46. Et alia Aſtrologica tum Alphonſi, tum ex alijs excerpta.

*Tabula ſtatus figuræ Cœli, huius benedicti, & felicis aſcenſus*, de Arabica in Latinum conuerſa. in eadem Biblioth. Num. 6253.

*Scripturæ variæ, & Priuilegia* ab eodem compoſita. Ibid.

*Pantocoſmia del Cielo, e della terra.* Meminit ipſe in Hiſt. Monaldeſca.

*De Armis, & Inſignijs Populorum, Ciuitatum, Oppidorum, & Familiarum Mundi.* Meminit ipſe ibidem.

*Hiſtoria di Caſa Farneſe.* Meminit ibidem.

*Simulacro della Caſa Cibo.*

Ego verò ipſius vidi, præter ea, quæ diximus ſupra conſeruari in Bibliotheca Vaticana, & Archiuo.

*Vitam Gregorij Nazianzeni ad*

*Gregorium xiij.* diuiſam in partes quatuor.

*De origine, benedictione, Conſecratione, & Virtutibus Agnorum Dei.* ad Cardinalem Gulielmum Sirletum. habeturque in Bibliothecis Altempſiana, Aniciana, & Gabrielis Naudæi.

*Hiſtoria della nobiliſſima, & antica Caſa Conti Romana.*

*De Piſa Etruriæ Ciuitate, & eius origine.*

*De Familijs Bononienſibus.* Item,

*Accorambona. Alteria. Aquauiua. Benuenuta. Benzonia. Boccamazza. Caſarina. de Centelles Hiſpana. Caſia. Cincia. Corbaria Creſcentia. MonteMartia. Mottina Genuenſi. Mutia. Paſſara. Sabella. Sancta-Crucia. Sumbura. Vbertina Florentiæ.* Diſcurſus de his Familijs à Ciccarelli multo abhinc tempore vidit, & examinauit acerrimi Vir ingenij, Felix Contelorius Archiuo Apoſtolico Præfectus, & veluti ex Apochryphorum Auctorum penu deprompto, nulloque firmo nixos fundamento reiecerat, & damnauerat.

Quàmplurimas item *De varijs Familijs*

*milijs illuſtribus*, ipſius Notationes autographas in eodem Archiuo Vaticano conſeruatas, & Virorum in illis inſignium ſeries, ex Auctoribus potiſſimum ab eo confictis concinnatas, quibus, vt ingenuè fatear, veras etiam, quæ de illis Familijs apud probatos Auctores reperiuntur, in controuerſiam vocat.

Summarium Operis, quod ipſe, *De Regno Catholico S. Romanæ Eccleſiæ* inſcripſit, diuiſitq; in partes ſeptem. In prima tractat, *De excellentia Vrbis Romæ*. In ſecunda: *De ſumma poteſtate, & iuriſdictione Eccleſiæ Romanæ, & Summi Pontificis.* In Tertia, *De vera Donatione Conſtantini*. In quarta, *De validitate Donationis Conſtantini approbatæ per varios Scriptores ad hæc vſque tempora*. In quinta, *De rationibus comprobantibus Donationem Conſtantini*. In ſexta, *De alijs Donationibus factis Eccleſiæ, & Pontificibus ante, & poſt Donationem Conſtantini*. In ſeptima, *De reiectionibus inconcuſſis rationibus fulcitis contra negantes, & improbantes Donationem Conſtantini*. Meminit ipſe hujus Operis in

Libello ſupplici.

*Prognoſtica, & Vaticinia varia*. De euentibus varijs Eccleſiæ, & Regnorum, & de futuris Pontificibus, in nonnullis ſubſcripſerat. *Philogenius lucubrando ſcribebat*.

Ex varijs item linguis verſa in linguam Latinam.

*Doromi Auctoris Græci Aphoriſmos Aſtrologicos*.

*Valentis Antiocheni centiloquium*.

*Zaliel Chaldæi Aſtrologi Centiloquium*.

*Andruzagar Arabis Aſtrologi Aphoriſmos*.

*Meſſaale Arabis Aſtrologi Aphoriſmos*. Verſiones haſce curioſiùs percurrens, nunquam enim credidi Ciccarellum linguarum etiam peritum fuiſſe, eraſum Interpretis nomen, & Ciccarelli appoſitum, & acutiùs introſpiciens, *Platonis Tiburtini* nomen eſſe Interpretis, cuius etiam in traducendis Auctoribus non incelebre nomen fuerat, deprehendo. Sed quamnam ob cauſam nomen Ciccarellus ſuppoſuerit ſuum, alij quærant. quid enim de Viro hocce in medium afferri poteſt, quod certum ſit.

Me-

Meminit etiam Ciccarellus, quæ tamen ipſe non vidi.

De *Hiſtoria Familiarum illuſtrium totius Orbis*.

*De Iubilæo*, Tractatum miſerat ad Principem Maſſæ, vt ederetur: Princeps probatiſſimis Viris oſtendit, & potiſſimum ex Societate Ieſu Ramireſio, qui plura digna animaduerſione in eo induauerat. Ramireſio tamen ſe nolle reſpondere, ne nouum edere Tractatum cogeretur, palam Principi Ciccarellus edixit. & præcipuè cùm Romæ à Sacra Inquiſitionis Congregatione rebus in omnibus approbatus fuiſſet. Immò ſibi à Cardinali Sirleto iniunctum, vt illius exẽplar characteribus elegantioribus exſcriptum ad rei memoriam ſempiternam in Sacri Palatij Bibliothecam reponeret.

Meminit quoque in Opuſculo de Tuberibus aliorũ Operum, quę compoſuiſſe ſe refert *De arcanis rerum naturalium*. cap. 9. *De Plantis* cap. 15. quem citò ſe in lucem daturum tradit, *vbi exquiſitiſſimè tractatur de omnibus plantis*. *De omnifaria Arthrididis curatione*, cap. 16. *Vbi*, verba-

ba ſunt Ciccarelli, *latiùs declaratur, quod hucvſque vllus medicus, nec priſcus, nec recentior, ſciuit curare huiuſmodi dolores, & præcipuè dolores podagrarum, cui Libro nullum aliud deficit, niſi protectio magni Numinis, vt ſub eius vexillo, ipſoque duce naſutos, & zoilos flocci pendat. & ideo Nobiles, & Magnates latè viuant, & expectent.* Pamphilus Herilacus in Conſilio de Arthritide, & Podagra, poſt Tractatum de Aquarum natura cap. 60. Suffumigium in his morbis à Ciccarello excogitatum, & in Opuſculo de Tuberibus exſcriptum afferens, eiuſque vſum tanquam minùs manifeſtum exagitans, ſubdit; *Laudibus ſe ipſum extollit ſuper recentes omnes, & priſcos Medicos hic Alphonſus, dum edidiſſe libros aſſerit, De omnimoda Athritidis curatione, quam fatetur neminem vſque huc ſciuiſſe, Curationem, inquit, huiuſmodi dolorum, & præcipuè Podagræ, quem librum non dum vidi.* Hæc Herilacus. *De Symbolorum Pythagoræ interpretatione*, cap. 19. Et in Tractatu de Clitumno cap. 16. *De imaginibus priſcorum*

*rum*

*rum Deorum*.

Meminit præterea Operis ſingularis, quòd ex varijs, innumeriſque Auctoribus tum editis, tum manuſcriptis concinnauerat. Illud Imperatori, aut Regi Hiſpaniarum, aut Regi Galliæ, ſiue Reipublicæ Venetę nuncupare ſtatuerat, ducentorum millium centuſſium præter alias dignitates pretio conſtituto. cùm in eo omnia neceſſaria tum tempore belli, tum pacis, peſtilentiæ etiam omnibus quocunque in loco abundantiſſimè ſuggererentur. Sed paulò poſt Thraſo nugax immenſum pretium in minimum permutauit, ducentis tantùm ſcutis tanti Theſauri exemplari diuendito.

*Vitas item, & geſta Summorum Pontificum* meditabatur. Ipſe enim annò 1579. 21. Ianuarij ad Principem Maſſæ ſcribens, narrat ſe inter alias curioſæ, minimèque ſpernendæ antiquitatis monumenta, omnes Summorum Pontificum ab ipſo D. Petro ad ſua vſque tempora effigias repertas penes ſe fouere, quibus iam geſta Pontificum ſubderet, Cardinales ab iiſdem factos reputaret, reſque vniuerſi-

uerſi Orbis memoratu dignas ſub eodem Pontifice geſtas recenſeret, ac recognoſceret. Id an poſtmodum abſoluerit homo nugax, ac glorioſus, incertum mihi eſt. Velim tamen, Lector, animaduertas, Vitas Pontificum Romanorum, Ioanni Angelo Ægyptio, & Vitas Romanorum Imperatorum ſeparatim Octauiano Creſcentio Nobili Romano nuncupatas, iamdiu manibus omnium beneficio typorum apud Dominicum Baſam Impreſſorem Apoſtolicũ annis 1580, & 1590. in 4. teri, cum eorum imaginibus, ac effigijs ab ipſo Petro ad Sixtum V. & à Iulio Cæſare ad Rudolphum Secundum Imperatorem, *Antonij Ciccarelli* eſſe, non Alphonſi, qui ab Alphonſo diuerſus eſt, cùm Antonius ſub Sixto V. Opus ſuum elucubraret, & ſub Clemente Octauo viueret: Alphonſus ſupplicio ſub Gregorio XIII. in viuis eſſe deſijſſet. Alphonſus medicinam, Theologicas Antonius res pertractaret: Alphonſus Meuanas, Antonius Fulginas eſſet; qui etiam vitas Pij V. Gregorij XIII. Sixti V. Vrbani VII. Gregorij XIIII. Innocentij IX, à ſe conſcriptas Pla-
tinæ,

tinæ, ac Panuinio annexuit, Venetijs editas 1592. in 4. Eiuſdem Antonij etiam ſunt, *Diſcurſus in T. Liuium* Italicè ſcripti, editique à Stephano Paulino 1598. in 4.

Apud Meuanates etiam conſeruantur Tractatus varij ſparſim, vt refertur,

*Sopra il male del Caſtrone*, quem ſcripſerat Romæ 10. Auguſti 1580.

*De i rimedij contro la Peſte*. & Latinè, *Adnotationes Medicinales*.

*Varia Aſtrologica*.

*De Canicula*.

*De Cometa, quæ apparuit anno* 1577.

*Diſcurſus Chymicus*.

*Apophthegmata Sanctorum Patrum*, ex eorum Operibus decerpta & eiuſdem Volumen, in quo *Varia Alphabeta* repreſentantur. Fortè annō meditatio Ciccarelli illa fuerant, literaſque quas imitaretur, exarabat, ſecum ipſe prius in abditis murmurans, quæ poſtmodum palam omnibus erat intonaturus?

**Syntagmata, etiam *De Etruria* meditabatur; at quænam illa fuerint, diuinent alij. Nolo ipſe diuinatione**

hac

hac mea alicui damnum illatum. Sed ne iſta ex me dicere videar habeto tibi Monaldi Monaldeſci de Ceruara Epiſtolam ex autographo deſcriptam, & ſua lingua loquentem, ne verſio mea in ſuſpicionem veniat. *Siate contento d'armi noua, & auiſo dell'eſſer voſtro, e che ſi fà dell' opere dell' ETRVRIA, e de' Libri, che ſi hanno à ſtampare, e d'ogni altra coſa, e ricordateui, che ſono tutto voſtro. Io penſo non poter venire à Roma per queſt'anno maſſimo ſtando queſti ſoſpetti. Di gratia ſcriuetemi qualche coſa di nouo, e mè li raccomando. Di Terni alli 27. d'Ottobre 1576.*

Suſpicionem auget Sanſouinus, qui rerum Etruſcarum Fragmenta non vno in loco laudat.

# INDEX SECVNDVS

*Continens Libros Manuſcriptos Ciccarelli, quos ipſe dicit conſeruar in ſua Bibliotheca.*

## A

AGabiti Cineij, Marraſij, ſiue Maruſij Siciliani, & Porcelli Romani Carmina. Ea ſe habuiſſe ſcribit à Petro Bonamico de Aretio.

*Alberti*, ſiue *Alberici Nolani* Vita Magni Alberici de Cunio.

*Alexij Gelandij* De origine Vrbium totius Mundi, Libri tres.

*D. Aluari* Tractatus de Humilitate.

*Eiuſdem* De ornatu mulierum.

*Ariſtotelis* De ſanitate tuenda ad Alexandrum Magnum.

## B

S. B*Enedicti de Nurſia*, De vera ſapientia, & modis acquirendi eam, per quam aſcendimus ad Deum.

*S. Bernardini de Senis* Tractatus,

De

De decem præceptis, & alij multi manuſcripti.

*S. Bonauenturæ de Balneoreggio*, Opus, quod intitulatur, Flos Florum.

*E.* Lilium originalium, De pœnis Inferni, & gloria Paradiſi.

C

CAphari de Hiſtoria Genuenſium.

*Chiroeratis Anxurani Hiſtorici, & Architecti* Libri tres, De egregijs ſtructuris totius Orbis.

*Chronichæ Carrarienſes.*

*Caſtrenſes.*

*Gualdenſes.*

*De memorabilibus Vmbriæ.*

*Meuanates.*

*Senenſes.*

*Spoletanæ.*

*Viterbienſes.*

*Vrbeuetanæ.*

*De Brunforte.* Ab vno ex Familia de Brunforte anno Chriſti 970 conſcriptæ, vt tradit Ciccarellus. Eas, ait, laudari in antiquiſſimis Chronicis manuſcriptis, quas ipſe habuit ex Monaſterio Abbadiæ S. Benedicti

nedicti Gualdenſis ſupra Nuceriam: in primo Tomo Chronicarum Manuſcriptarum Italiæ Petri Baccarini de Horta, ex Archiuo Hortano receptarum; & tum demum à Præſule quodam ex Archiuo ſuæ Abbadiæ ſcripturas eorundem Dominorum de Brunforte, fide dignorum Virorum teſtimonio firmatas, oſtenſas, quarum ipſe ſibi copiam procurat: & ſpes erat, ſe tandem aliquando eas reperturum. In ijs laudantur *Ioannes Caramanius De antiquitatibus Orbis*, Scriptor antiquiſſimus, vt idem Ciccarellus notat, *Rodulphi Hiſtoria*, qui ſcripſit ſub Gregorio Papa XI. *Olympiodorus Hamaal*. Illius quoque fidem allegant Chronicæ Vmbriæ, Ioannes de Capiſtrano in ſuis Annalibus, Fanuſius Campanus de Familijs illuſtribus Italiæ, qui lib. 3. cap. 20. de Ciborum Familia ſermonem habens, refert ex eadem Chronica ſub anno 1317. dictam Familiam conueniſſe cum Familijs Grimaldorum, & Fleſcorum ad expulſionem ſeditioſorum. &c. Immo Ciccarellus ipſe de Familia Monaldeſca pag. 7. nec non Monaldus Monaldeſcus in Commentarijs Hiſto-

Hiſtoricis, ex Chronica eadem de Ceruo, & Cane Monaldeſcorum loquentes, tradunt anno 1337, Ceruum ſibi primates in eadem familia ſuper raſtris inſigne vſurpaſſe. Et in variis Lectionibus de Senarum origine, ex iiſdem Chronicis refert à trecentis annis & retro ad ſuam ætatem, multas apud Senas Turres extructas fuiſſe, ab anno nempe Chriſti 1300. & infra, ex iiſdem id aſſerentibus ſub Ioanne XIX. Senas ortum habuiſſe circa annum ſcilicet Chriſti 1008. At quomodo, qui ſub anno 970 ſcribebat, ea referre potuit, quæ ſub annis 1008. 1300. 1317. & 1437 geſta ſunt?

*Corradi Eſiij* breuis Chronica; De origine Ciuitatum Italiæ 1435.

D

*Dionyſij de Dionyſijs de Canapino*, Chronica Canapinenſis.

*S. Dominici*, tres Homiliæ, De gratia Dei, & totidem, De ineffabili Trinitate.

*Eleu-*

E

Eleutherij Mirabellij Ephemerides totius Italiæ. Hunc tamen alibi dicit, quamuis laudatum à Fanuſio, & alijs, nunquam ſe vidiſſe Ciccarellus.

F

Fabritij Palmerij, De Inſignijs, & Armis Ciuitatum, Populorum, & Familiarum, Libri tres.

*Fanuſij Campani*, De Familijs Illuſtribus Italiæ. Illius multa ſe inueniſſe fragmenta Viterbij aſſerit, quorum ipſe exemplar habuit, multaque illius Capita decurtata, ac mutila reſtituit, illiuſque editionem moliebatur, auctiorem tamen, & ſpecioſiorem à ſe factam. Fanuſium laudari dicit à Remigio in Epiſtolis Cardinalis Corteſij, & à Petro Reguardato Auctore Hiſtoriæ Monaſticæ, qui ſe ſua ex proprijs Scriptoribus concinnaſſe affirmant, de nomine tantùm Ciccarello noti. Ipſe verò Fanuſius in Libro, de Familijs Romanis lau-

dat,

dat, *Ioannem Caramanium, Ioannem Selinum, Librum Memorabilium Italiæ, Regiſtrum Nobilium Romanorum, Chronicam Dominorum de Brunforte, Chronicam D. Rodulphi, Olympiodori Hamaal Annales mundi, Chronicam Vrſinorum, Chronicam Clementis Viuij Romani, Anſelmum ciuem Brixianum*. Fanuſium etiam conſeruari tradit in Bibliotheca Iacobi Boncompagni Sorani Ducis, floruiſſeque anno 1443.

*E.* etiam Volumen alterum ſatis pulchrum ſe comparaſſe tradit, De Viris illuſtribus Italiæ in Literis.

*Florij Diegi*, De Vita Callixti III.

*Franciſci Baudimontij Flandri* Hiſtoriarum Tomi duo, ex Archiuo Monaldi de Monaldeſcis de Ceruaria eruti.

## G

G*Abinij Lati Romani*, De Eparchigraphia Italiæ, ſiue De origine Ciuitatum, Vrbium, & Oppidorum Italiæ. ab Vrbe condita 645. De eo Vincentius Caſtellanus, De Foroſempronij Ciuitatis Nobilitate.

*At*

*At vos, quem conditorem Callij nominatis? An fortaſſe confugitis ad ineptum, & barbarum Scriptorem Gabinium Lætum? Nos quoque poſſemus eundem laudare, qui honeſtiſſima de Foroſimpronio loquitur. Sed puderet nos fabulas, pro Hiſtorijs in medium afferre, quin, ſi opus fuerit demonſtrabimus inepti illius, ac impoſtoris ſcripta, non Romani hominis fuiſſe: quod ſi ijs, qui ſua ſcripta pro alienis edunt, quique ea fingunt, quæ ſibi in mentem veniunt, fides eſt habenda, omnis profectò hiſtoria, ideſt veritas euaneſcet. An neſcitis literatos homines, probatos tantùm Auctores ſequi, fecem verò, vti ita dicamus, Scriptorum ad ſcombros mittere. Verùm iſtum veſtrum Auctorem non modò, qui ad ſcombros, ſed etiam, Lectorum pace dicemus, qui ad viliores vſus trahatur, dignum eſſe, ſi opus fuerit, multis, & veris argumentis comprobabimus: nos certè non nitimur fabulis, vel anilibus ineptijs, ſed incorruptis rerum geſtarum teſtimonijs.* Et Orat. de Sempronio Fori Sẽpronij conditore. *Quæ circunferuntur ſub nomine Gabinij Læti de Foro Pelaſgico,*

*gico, ea nec affirmare, nec refellere in animo eſt. Etſi conſtat ex paucis illis verbis malum eſſe illum latinitatis Auctorem, &, quod peius eſt, prorſus indoctum, cum ſcribat exornatum à C. T. Sempronio, ò inſcitiam hominis non ferendam! Quis enim ignorat C. & T. eſſe prænomina. Quis porrò Vir Romanus appellatus eſt eodem tempore duobus prænominibus?*

In verbis Gabinij Læti de Fori Sempronij Origine, quæ mihi vnà cum Caſtellani Oratione, Vir diſciplinis liberaliter inſtitutus Malateſta Leonellus communicauit, laudatur, ne ſine Auctore falſum teſtimonium diceret Ciccarellus, Aliprandus Syracuſanus libro ſecundo Coſmographiæ. Vide præterea quæ de hoc eodem Gabinio Læto dicat Adrianus Politus Epiſtola ad Iugurtham Thomaſium. Veruntamen cùm de Gabinij auctoritate magis ac magis Viri probi ambigerent, Ciccarellus, vt ſibi, honorique ſuo conſuleret, & Scriptori fidem aliquam conciliaret, hac ratione omnibus feciſſe ſatis ſibi viſus eſt. *Qui Auctores faciunt mentionem de Gabinio. Strabo lib. 17. dicit, Sed nec*

*Gabi-*

*Gabinius Romanus Scriptor à Mauritaniæ monſtris recenſendis abſtinet. Charta 552. Xylandri. Strabo tempore Auguſti ſcripſit. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 14. Meminit de quodam Gabinio Conſulari Ciceronis inimico. Beda lib. de rat. Temp. in 5. ætate cap. 21. dicit; Syria per Gabinium ducem ſubijcitur Romanis. Ioannes Rauiſius in 2. parte Officinæ Char. 287. inquit, Timagenes Alexandrinus ſub Pompeio Magno Romam ductus, emptus eſt à Gabinio. Cicero lib. 1. Epiſt. quam miſit P. Lentulo Proconſuli hæc ait, Repentinam eius defenſionem Gabinij, quem proximis ſuperioribus diebus, acerrimè oppugnaſſet, vbi videtur eius Commentarios &c. Pomponius Lætus lib. de Legibus Romanis facit mentionem de Lege Gabinia ſic dicens, Gabinius Legem tulit, quam bellum Cn. Pompeio Magno contra Piratas datus eſt contra C. Trebellij interceſſionem: tulit etiam leges, quas recenſet Franciſcus Ottomanus lib. Legum Romanarum. Carion in Chron. lib. 2. Monarch. iij. ætate 2. loquens de Regibus Aegypti poſt Alexandrum, ait, Ptolemæus Au-*

*letes, quem Gabinius reſtituit. & infra loquens de Regibus Maccabæis, ait, Porrò verò in itinere, dum proficiſcuntur Romam, elapſus eſt Alexander, & reuerſus in Iudæam, potens iterum factus eſt, dum verò fudit eum Gabinius Imperator Romanorum in Syria, & poſtea, ex iuſſu Scipionis truncatus eſt Antiochiæ. Hartmannus in Regiſtro Chronicarum ait, Gabinius in Syriam miſſus eſt, vt Scauro ſuccederet, is commendata cura templi Hircano, Regnum Iudæorum in quinque conuentus diuiſit, quas Pentarchias Iudææ frangens ſuperbiam. &c. Dionigi Athanagi nella giunta che hà fatta al libro di Plinio Cecilio de Viris Illuſtribus, nella vita di M. Antonio Triumuiro, dice, che M. Antonio fù fatto Maeſtro de' Cauallieri in Grecia da Gabinio. De Gabinio videatur Onufrius Pãuinius, Char. 791. de Gallia Tranſalpina prouincia, & Chart. 511. de quadam Inſcriptione facta Brundusij. Iſte Gabinius Lætus pertractauit De Origine Ciuitatum Italiæ, quemadmodum fecit Polemon Helladius, qui ſcripſit Librum de Origine Ciuitatum Phocidis, & Ponti.*

*Ponti. Gabinius Romanus, qui Ptolemæum Auletem Aegypto pulſum, &c. Plutarchus in vita Pompeij. C. Velleius Paterculus lib. 2. de Hiſtor. Romana ait, Gabinius Tribunus legem tulit, vt cum belli more non latrociniorum, orbem claſſibus iam non furtiuis expeditionibus Piratæ terreant, &c. Cicero in Oratione pro Cornelio meminit Auli Gabinij dicens. Qui vir fortis huius Collega Aulus Gabinius in re optima fecit omnia. vbi dicit quod Gabinius legem tulit contra Piratas intuitu Collegæ eius L. Trebellij contra voluntatem vniuerſæ Ciuitatis. Aſconius in Commento Orationis Ciceronis contra L. Piſonem, dixit T. Clamia à Gabinio conſule edicto relegatum eſſe iam diximus. In Commento Orationis pro Milone, Aſconius ait, Quare dicat, inſidiata Pompeio eſt, fortaſſe quæratis Piſone, & Gabinio Coſſul. pulſo Cicerone in exilium, cum iij. Id. ſext. Pompeius in Senatum venit, dicitur ſeruo P. Clodij ſicam excidiſſe, eaque ad Gabinium conſulem delata. dictum eſt ſeruo imperatum à P. Clodio, vt Pompeius occideretur. Xiphi-*

*linus in Epitome Dionis in Commodo, nominat quendam Aemylium Lætum Præfectum Prætorium, qui fortaſſe fuit ex gente Gabinij Læti. Raphael Volaterranus in Comment. lib.16. inquit, A. Gabinius legatus rebus aduerſus Lucanos proſperè geſtis, multis oppidis expugnatis, in obſidione Caſtrorum hoſtilium cecidit. Liuius 76. A. Gabinius Ptolemæum in regnum reduxit. Salluſtius in Coniuratione Catilinæ enumerat P. Gabinium Capitonem coniuratum. In Declamatione Portij Latronis in Catilinam dicit, Deinde lege Gabinia promulgatum, qua coitiones vllas clandeſtinas in Vrbe conflauiſſet, more maiorum capitali ſupplicio multaretur. Nonnulli aiunt quod Gabinius R. dicat ſic, Gabinius Rhetor. in Gallijs docuit, vt ait Euſebius Cæſarien. in Chron.* Et hæc ex Obſeru. Ciccarelli, vt ipſe digeſſit de Gabinio, vt hinc quoq; eruditionis illius guſtũ habeas.

*Guilielmi Vallæ Rheginenſis* in folio hiſtoria Exarchatus Todij.

*Henrici Barcellij Agrigentini*, Bibliotheca totius Mundi. Eam laudat Campanus, & citò ſe editurum promittit

mittit Ciccarellus vnà cum Mundi Bibliotheca à Ciaccone, ita iubente Summo Pontifice compilata. in quibus omnia, quæ ipſe ſpaſim varijs in libris diſſeminauerat, habebuntur.

I

Iacobi Bonfadij Annales Genuen.

*Iacobi Corelli de Colonia* Tractatus, ſiue Hiſtoria, De Cardinalatu & Cardinalibus. Floruit anno Domini 1410. Eum magnifaciẽdum eſſe ſcribit Ciccarellus, eumque ſe vnà cum Campano, Sigonio Viro doctiſſimo oſtendiſſe, à quo fuerat ſummopere approbatus, quemadmodum & à Iacobo Boncompagno, in cuius etiam Bibliotheca extabat, ſperareque ſe aliquando maximis Additionibus, & rerum, & Cardinalium, ex alijs ſcriptis, & Bullis Apoſtolicis adauctum, & ſpecioſiorem factum in lucem typorum beneficio emiſſurum.

*Iacobi de Trano Canonici Samnitenſis Philoſophi; & Hiſtorici* Regiſtrum Epiſcoporum, & Patriarcharum Hieroſolymitanorum.

*E.* Regiſtrum Epiſcoporum, & Patriarcharum Antiochiæ.

*E.* Tractatus, De Nobilitate Nea polis, & Regni.

*E.* De Mundi Notabilibus.

*E.* alia Opuſcula. Scribebat anno 1407, vt ſcribit Ciccarellus, multoſque eum Auctores, & Annales laudare, ex quibus nonnullos penes ſe extare, alios nondum ſe vidiſſe. & duos hoſce *Philippum Scagliam*, & *Iacobum de Trano* ſimul eſſe edendos omnino cenſet.

*Ioachimi Abbatis* Chronica.

*E.* De Epiſcopatibus totius Orbis.

*Ioannis Filij Comitis Nicolai de Barbiano* Chronica.

*Ioannis de Capiſtrano* Chronica, De Originibus Vrbium, Ciuitatum, & Oppidorum totius Mundi. ait Ciccarellus in ea laudari *Chronicam Dominorum de Brunforte*, & alios. Hinc colligit *Fanuſium Campanum*, qui prædictos Auctores laudat probatiſſimum eſſe, & verum Scriptorem; tanquam qui eorum dicta, & ſententias, vt vt in eis ſunt, referat, vt conferenti patere poteſt.

*E.* De vitis Sanctorum, & rebus Eccleſiæ.

*E.* De Epiſcopatibus, & Archiepiſco-

ſcopatibus. Hic inter alios Auctores hos quoque allegat, *Bernardini Ligurini*, & *Anſelmi ciuis Brixiani* Chronicas.

*E.* De origine, & religione militantium pro fide Ieſu Chriſti, atque Eccleſiæ Romanæ defenſione.

*E.* De vera Donatione Conſtantini Imperatoris.

Cùm de hiſce Ioannis Capiſtranij monumentis ſermonem haberem cum doctiſſimo, & de Franciſcana Religione quàm optimè merito, & quo ſanè in diſcernendis illius Religionis rebus, nemo alius plus vidit, Luca VVaddingo, ſola eorũ auditione in riſũ effuſus eſt; quid verò poſtmodum mihi Vir ille reſcripſerit, hìc apponam eo libentiùs, vt vel ex hoc vno, quid de alijs ſentiendum ſit, apertiſſimè tuteipſe, per te diiudices verba illius ſunt. *Leoni Allatio Viro Clariſſimo F. Lucas VVaddingus. Heſternus tuus ſermo, & hodierna pagellá de ſpecioſis Ioanni Capiſtranio adſcriptis Operibus vehementer admirari faciunt, eò perueniſſe fingendi licentiam, vt iam mentiri ſatis non ſit, niſi etiam mendaciorum pulchra*

*præſtruantur fundamenta, & nobiles conſtipentur aſſertores. Vafro quidem ingenio illi figmentorum conglomerantur teſtes, quos reproducere non licet, eaque coaceruantur teſtimonia, quæ mortuos dixiſſe faciliùs aſſeretur, quã probentur adulterina. At non ſemper felix mendacium: qui fallere cupiunt aliquando falluntur, & quibus imponunt artibus, deprehenduntur. Nuda veritas ſua ſimplicitate perſiſtit; falſitas, vt modicum lateat, multo indiget ornatu, quòd ſi non vndique contegatur per exiles licet rimulas ipſa ſe prodens apparebit. Multa ſcire oportet, cui mentiri placet, vnum, ſi neſciat, reliqua turpiùs adÿciet. Vt virum inſignem à ſe ſcribendis erroribus patronum Ciccarellus adſciſceret, eos debuit libros comminiſci, quos ſcripſiſſe crederemus; & qua ille pollebat, arte præſcire, ne filios genitori diſſimiles, aut ab Auctoris facultate fœtus formaret alienos. Capiſtranius ab ineunte ætate inter vtriuſque Iuris incunnabula enutritus, adoleſcentiori dicundis legibus à Ladislao Rege Siculo addictus, prouectiori Monachatum amplexus, ſolas diuinas hauſit literas,*

*quas*

*quas æſtuante pectore; cumulatiſſimo fructu, in concionibus eructabat. Plurimi, quos ſcripſit; Codices eamduntaxat ſapiunt doctrinam, quam iuuenilibus annis excepit; & per omnem vitam exercuit; Iuris potiſſimùm Pontificij peritiam. Paucula, quæ intermiſcet Theoſophiæ argumenta, & quos è roſtris dixit ſermones, ſtylo, & methodo non tam Theologum ſapiunt, quam Iuriſconſultum. Autographa Capiſtrano, Aprutiorum oppido, in Vrbem aduecta penes me habui: & diligenter excuſſi ipſos comperi titulos; quos literulis iſtis ſubiungo, & pridem Nicolaus à Fara peregrinationis comes, & laborum particeps in Operum indiculo vitæ, & actis à ſe conſcriptis diligenter adiecit. Spurij ſunt, & degeneres, quos addit Ciccarellus,*

De Originibus Vrbium, Ciuitatum, & Oppidorum totius Mundi.

De Vitis Sanctorum, & rebus Eccleſiæ.

De Epiſcopatibus, & Archiepiſcopatibus.

De Origine, & Religione militantium pro fide Ieſu Chriſti, atque Eccleſiæ Romanæ defenſione.

*præſtruantur fundamenta, & nobiles conſtipentur aſſertores. Vafro quidem ingenio illi figmentorum conglomerantur teſtes, quos reproducere non licet, eaque coaceruantur teſtimonia, quæ mortuos dixiſſe faciliùs aſſeretur, quã probentur adulterina. At non ſemper felix mendacium: qui fallere cupiunt aliquando falluntur, & quibus imponunt artibus, deprehenduntur. Nuda veritas ſua ſimplicitate perſiſtit; falſitas, vt modicum lateat, multo indiget ornatu, quòd ſi non vndique contegatur per exiles licet rimulas ipſa ſe prodens apparebit. Multa ſcire oportet, cui mentiri placet, vnum, ſi neſciat, reliqua turpiùs adijciet. Vt virum inſignem à ſe ſcribendis erroribus patronum Ciccarellus adſciſceret, eos debuit libros comminiſci, quos ſcripſiſſe crederemus; & qua ille pollebat, arte præſcire, ne filios genitori diſſimiles, aut ab Auctoris facultate fœtus formaret alienos. Capiſtranius ab ineunte ætate inter vtriuſque Iuris incunnabula enutritus, adoleſcentiori dicundis legibus à Ladislao Rege Siculo addictus, prouectiori Monachatum amplexus, ſolas diuinas hauſit literas,*

*quas*

*quas æſtuante pectore, cumulatiſſimo fructu, in concionibus eructabat. Plurimi, quos ſcripſit, Codices eamdumtaxat ſapiunt doctrinam, quam iuuenilibus annis excepit; & per omnem vitam exercuit; Iuris potiſſimùm Pontificij peritiam. Paucula, quæ intermiſcet Theoſophiæ argumenta, & quos è roſtris dixit ſermones, ſtylo, & methodo non tam Theologum ſapiunt, quam Iuriſconſultum. Autographa Capiſtrano, Aprutiorum oppido, in Vrbem aduecta penes me habui; & diligenter excuſſi ipſos comperi titulos, quos literulis iſtis ſubiungo, & pridem Nicolaus à Fara peregrinationis comes, & laborum particeps in Operum indiculo vitæ, & actis à ſe conſcriptis diligenter adiecit. Spurij ſunt, & degeneres, quos addit Ciccarellus,*

De Originibus Vrbium, Ciuitatum, & Oppidorum totius Mundi.

De Vitis Sanctorum, & rebus Eccleſiæ.

De Epiſcopatibus, & Archiepiſcopatibus.

De Origine, & Religione militantium pro fide Ieſu Christi, atque Eccleſiæ Romanæ defenſione.

De vera Donatione Conſtantini Imperatoris. *Nihil vnquam in hoc genere à Capiſtranio ſcriptum, nihil vſquam comperies de re hiſtorica meditatum: nullum prorſus in reliquis operibus occurrit veſtigium. Itaque tam falſa iſta tu, Vir oculatiſſime, iudica, quàm certò tibi conſtat alia pleraque finxiſſe, illegitimorum partus ſuppoſuiſſe, multos compictis, artificioſisque mendacijs in fœdiſſimos errores traxiſſe, & quòd demum plagiario nequior, tanto dignas perſoluit crimine pœnas. Vale Vir doctiſſime, & tenebrionum horum nebulas claritatis tuæ luce depelle, ac tantam fingendi licentiam poſitis doctrinæ repagulis, ſtatutiſque veræ Hiſtoriæ legibus coërce. 3. Non. Octob.* 1641. Epiſtolæ ſubnexuit Elenchum Operum editorum, & manuſcriptorum Ioannis Capiſtranij, quem veluti minùs neceſſarium omiſi.

*Ioannis Lucidi*, De rerum Etymologijs.

*Ioannis Petri Scriniarij Ciuis Romani, & Notarij Publici* Chronicon, ſeu, Hiſtoria rerum notabilium Romæ. ſcribebat 1350.

E.

*E.* Catalogus nonnullarum Eccleſiarum Orbis: in his promittit alios Libros, De rebus Patriæ ſuæ.

*Ioannis Selini Ambratenſis*, De regionibus Vrbis Romæ.

*E.* De Antiquitate Vrbis Romæ.

*E.* De Familijs Illuſtribus Romanis.

*E.* De Origine antiqua Italiæ, &, De eius Incolis ante, & poſt diluuium.

*E.* Beroſi Chaldaica defloratio.

*E.* De notabilibus, & memorabilibus Mundi.

*E.* Chronica.

*E.* Compendium Hiſtoriæ Italiæ. Ciccarellus ait hunc floruiſſe anno 1352. negatque ſe hanc ipſius Hiſtoriam habere, ſcribens ad Principem Maſſæ: quæ tamen allegatur à Fanuſio, Ioanne Filio Comitis Nicolai de Barbiano in Chronica, Petro Riguardoto, Franciſco Sanſouino, & alijs; quemadmodum & illius Liber, De mirabilibus Mundi à Petro Baccarino.

*Ioannis de Virgilio, Poëtæ Bononienſis* Chronica, ſiue, Hiſtoria de Regno Catholico Romanæ Eccleſiæ.

Eum tempore Dantis floruiſſe ſcribit Ciccarellus. De eo Iacobus Grimaldus Baſilicæ Vaticanę Clericus Beneficiatus, Opuſculo de ſacroſancto Veronicæ Sudario, ac Lancea in Vaticana Baſilica, maxima cum veneratione aſſeruatis pag. 111. *Adhibui diligentiam huius inquirendi Ioannis de Virgilio in Bibliotheca Vaticana Põtificia, & alibi. Penitus ignotum eſt. fictum putans nomen, & quod ferrum Lanceæ dicti Auctoris tempore ſub Dante Aldegerio annis iam exactis ac in Baſilica S. Petri ſeruaretur. Falſum eſt: nam ſacra ipſius cuſpis ab Innocentio viij. anno MCCCCXCII, vt in hoc libro dicitur, collocata fuit.* Refert tamen Ciccarellus *Ioannem* hunc *de Virgilio*, cum *Ioanne Selino*, & *Iacobo de Trano* ſe clam velle Meuaniam mittere, ne in notitiam Iacobi Boncompagni venirent, qui abſque dubio ſurreptos ſibi tanquam precioſiſſima conſeruaſſet.

*E.* etiam Genealogiam Deorum, & originem Ciuitatum Italiæ.

*E.* Commentaria ſuper Metamorphoſin Ouidij. nec non

*E.* Allegorias Fabularum Ouidij

penes

penes ſe conſeruari fatetur Ciccarellus.

## L

Laurentij Laurentiani, De Armis, & Inſignibus.

*Liber* Memorabilium, ſiue, Memoriale Sacriſtię S. Franciſci de Meuania.

*Liber* Priuilegiorum Pontificum, Imperatorum, & Regum pertinentium Eccleſiæ Romanæ, varijs Ciuitatibus, Familijs, & Particularibus.

*Lucij Pulchri Imperialis*, ſiue, *Driadeus*. Opus, vt ex locis, quæ ipſe Ciccarellus in Hiſtoria ſua de Nobilitate Romana affert, comprehendi poteſt, non aliud ab eo, quod ſub *Imperialis* titulo anno 1314. conſcripſerat *Ioannes Caſtellus*, vt ex eiuſdem Operis Partis primæ cap. 3. colligitur, in Libros quatuor diuiſum, de Iulio Cæſare, alijſque nonnullis ſubſecutis Imperatoribus, & quod modò in Bibliotheca Barberina, vt mihi retulit Carolus Moronus, bonorum Auctorum minimè incurioſus, manuſcriptum aſſeruatur, & iam olim typis editum

editum anno 1510. Venetijs, in eadem Bibliotheca, alibique ipſe conſpexi.

N

NIcolai Gentilis de Sarazana, De rebus, & Familijs Genuenſium.

P

PAuli Franchi Parthenopæi Annales Genuenſium.

*Pauli Patriarchæ Conſtantinopolitani*, De vera donatione Conſtantini. Illius Ciccarellus meminit in Opere, De Regno Catholico S. Romanæ Eccleſiæ. *In ea eſt Edictum Conſtantini, & Priuilegium Donationis validum cum ſubſcriptione Imperatoris, Conſulum Romanorum, centum Satraparum, Familiarum Romanarum, & duodecim Satraparum Imperij, Græco ſermone ſcriptū à Paulo Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui floruit eodem tempore, & in Latinum ſermonem tranſtulit.* Eandem hanc Hiſtoriam, quæ Ciccarelli erat, dum oculos in eam ſigo, portentum eſſe

merum

merum comperi. Sic enim ordiebatur. *In Dei nomine Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Hoc eſt tranſcriptum, ſiue exemplum fideliſſimæ Hiſtoriæ Donationis Magni Imperatoris tranſumptatum, exemplatum, & extractum de verbo ad verbum ex proprio Originali cuiuſdã Libri chartæ Pergamenæ, in 4. folio, compoſiti ex paginis num. 34. cum coperturis ligneis, quod conſeruatur in Sanctuario Baſilicæ S. Ioannis Lateranenſis, intuitu, & ex commiſſione D. Annibaldi de Ceccano Epiſcopi, Cardinalis Tuſculani, cuius Hiſtoriæ talis eſt tenor. Hiſtoria De Conuerſione, & Donatione Conſtantini Magni Imperatoris ſcripta Græco ſermone per Paulum Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, & translata in linguam Latinam per me Aurelium Florenzolium de Viterbio anno ſalutis MCCXV.* Principium. *Ego Paulus Homouſians cùm eſſem Romæ,* &c. Vide callidum hominis ingenium, vt plurimos, ex his, qui nunc viuunt, ad nobiliſſimum Satraparum Romanorum album conueheret, hanc hiſtoriolam inſulſam planè excogitauit, & ſigillis, ac ſubſcri-

ſcriptionibus condecorauit. Hinc multis recentium cognomina, multis inſignia, ſiue arma adfixit: ſic enim illorum cognominum participes palam ſibi ſuam originem repræſentant: inſignia; licet cognomen vario rerum euentu immutatum ſit, & eadem arma genus tum etiam illuſtre Parentum ſtabiliunt. An dici quicquam poteſt inſulſius?

*Petri Baccarini de Horta* Chronicæ Hortanæ, De Italiæ diuiſione, & de eius Ciuitatibus, & earum Origine, & Familijs. in illis allegari, tradit Ciccarellus; *Eleutherium Mirabellium*, & *Ioannem Selinũ* de Mirabilibus Mundi. eaſque ſibi ſuppeditatas ex Archiuo Hortano.

*Petri de Caffarellis Notarij* Chronica, ſeu Annotationes De rebus Romanis pertinentibus ad Familias. Refert opus ſe habuiſſe à Mario Peruſco.

*Petri Scriniarij*, Vide *Ioan Petri*.

*Philippi Scagliæ Neapolitani*, De antiquitate, & rebus Campaniæ Felicis, & De maxima Neapolis Nobilitate. Eum tradit Ciccarellus floruiſſe anno 1465. eſſeque verum, &

bonum

bonum Scriptorem ; expoliendum tamen , atque immutandum . Illiuſque autographum ſe Principi Maſſæ , non ſine rei familiaris iactura , miſiſſe , in cuius Archiuo aſſeruatur.

S

*De* SEnatoribus Romanis Hiſtoria, eam dicit habuiſſe à Fuluio Archangelo.

*Seueri Mineruij* Spoletani, De rebus geſtis Spoletanorum, in fol.

INDEX

# INDEX TERTIVS.

*Continens Catalogum Scriptorum, quos Ciccarellus ſuis in Operibus ad corroboranda quæ dixit, adducit, non quidem omnium, ſed eorum, qui nunquam fuerunt, vel quorum potiſſimùm Opera iam non extant, vel ſuſpectam eſſe fidem in Operibus, quæ laudantur, exiſtimant Viri probi.*

A

*ABlabius* rerum Gotthicarum Scriptor.

*Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus* tempore Leonis Imperatoris ſcripſit Hiſtoriam Eccleſiaſticam ad ſua tempora. 465.

*Aegidius Foſcarus de Bononia* compoſuit Librum, De rebus Eccleſiaſticis. 1199.

*Aeneas Vrius Parinenſis*, De Vita, & rebus geſtis mulierum Auguſtarum.

*Agentius Vrbicus*, De Aedificijs Italorum.

*Alanus Doctor Vniuerſalis* fecit De ſumma Poteſtate Romanæ Eccleſiæ

Libros

Libros tres.

*Aeliodorus Præſul Triccenſis*, de temporibus ab Origine Mundi vſque ad ſuum tempus. 427.

*Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus* fecit Chronica, De rebus, & Regnis Orientis 1149.

*Alcinoue Platonicus Philoſophus*, *Libro ſecundo*, De natura rerum, Cœli, & Terræ.

*Alexander Peregrinus* in Martyrologio.

*Alibrandus Syracuſanus*, Libro ſeptimo Coſmographiæ.

*Ambroſius Boſſius*, De magnitudine Mediolani.

*Ambroſius Candidus*, De Vitis Sanctorum.

*Anatolius Laodiceæ Syriæ* ſcripſit, De ratione temporum, ab Origine temporum ad ſua tempora. 279. In hoc Scriptore quidam Græcus ex comitatu Cardinalis Farneſij, & Epiſcopus Caſtellanetæ, vt ſcribit Ciccarellus ad Principem Maſſæ, repertus fuit quidam ex Familia Ciborum Macedo Hieroſolymitanus Epiſcopus, verbaque Græca deſignat, quæ & ipſe non grauabor deſignare, vt futiliſſimi

impo-

impoſtoris nugamenta magis pateãt. ea ſunt, Μέγιςος Κύβος Μακεδο. *Maximus*, vt ille interpretatur, *Cybus Macedo, decimus nonus Epiſcopus Hieroſolymorum. anno Chriſti* 130. O! fidum Interpretem! Nolo hic tertium verbum exagitare, quod Grecum non eſt. Eo quoque tempore ita decurtari verba non ſueuerant. & ſcriptionis illam barbariem Anatolij eſſe dicemus? Quis præterea cognomina, & patriam in nominibus Epiſcoporum ijs temporibus vel expreſſa vnquam vidit, vel audijt? Hieroſolymitanorum Præſulum ſeriem ſatis accuratam ad Conſtantini vſque æuum habemus ab alijs, à quibus iſte Μέγιςος vel *Maximus*, quemadmodum, & Scriptor iſte Anatolius, nullus eſt.

*Andreas de Roma* ſcripſit Stationarium Eccleſiarum Vrbis Romæ.

*Angelus Maſſarellus de S. Seuerino, Secretarius Apoſtolicus*, De Armis, & Inſignibus Pontificum, & Cardinalium à Leone Papa ix. ad Paulum iv. Aitque Ciccarellus Librum aſſeruari, quanam fide, ipſe viderit, in Bibliotheca Apoſtolica.

*Aniceta Patriarcha*, Hiſtoriam Orien-

Orientalem, De Terra Sancta.

*Anſelmus Ciuis Brixienſis* Chronica. Dicuntur eſſe in Bibliotheca Iacobi Boncompagni, ſcripſit & vitam Gregorij Papæ ij.

*Anſelmus Epiſcopus Lucenſis* ſcripſit vitam, & geſta Comitiſſæ Matildæ.

*Antilius Alemanus* De Plantis.

*Antonius Manettus Florentinus*, nell Hiſtoria di Caſa Caualcāti, ſcritta nell'anno 1300. Id cùm reſciſſent nonnulli ex ea Familia, & Robertus potiſſimùm anno 1581, ab eodem Ciccarello, idque inſtanter ſolicitante Franciſco Merçato, Hiſtoriæ exēplum efflagitant. An illis Ciccarellus tranſmiſerit, vel qua ſimulatione poſtulata ſubterlapſus ſit, incompertum mihi eſt.

*Antonius Pontifex Conſentinus*, in Romitempio.

*Apollodorus* libro quarto De cultu priſcorum Deorum. Tractatum hunc, quemadmodum, & alium De cultu Etruſcorum Apollodori, non inueniri affirmat Adrianus Politus Epiſt. ad Iugurtham Thomaſium.

*Arſenius*, De Nobilibus, & Familijs Roma-

Romanorum. Fanuſius ait librum eſſe manuſcriptum, & ſeruari in Bibliotheca Vaticana.

*Auguſtini Epiſcopi Ilerdenſis*, De Familijs Romanorum.

*Aymo frater Bedæ* fecit Chronicon Eccleſiæ Romanæ 690.

B

*BEmarchius Cæſarienſis Cappadociæ Sophiſta* ſcripſit De Donatione Conſtantini.

*Bernardinus Ligurinus*, vel *Ligurius* Chronica.

*Bernardinus Pigurenſis* Chronica.

*Blaſius de Fontolinis de Fauentia* in ſuo Memoriali, Alibi, Variorum Inſtrumentorum, & Variarum rerum Memoriale.

*Brunus de Garleonis Neapolitanus* Chronica. laudatur à Ioanne de Trano.

*Buccius de Andronino* Diaria.

C

*CAſtallus Metallinus Ciuis Romanus*. Delle Famiglie del Rione della

della Regola. Huius autographum ſcribit Ciccarellus reperiri penes Cæſarem Iuuenalem, & ſimile exemplar penes Fuluium Archangelum; & aliud penes Ioannem Georgium Cæſarinum. De eo Iacobus Grimaldus. *Eadem militat ratio in ijs, quæ à Caſtallo Metallino dicuntur de nonnullis Familijs Romanis, vt ſupra dictum eſt, ſuſpicati ſunt nonnulli Nicolai Rentij, & Caſtalli Metallini libros eſſe in multis nouos, additis commentis ab Alphonſo Ciccarello.* Dicitur floruiſſe anno Domini 896.

***Chriſtophorus Encelius***, De Balineis totius Mundi.

***Chronica*** Regni Neapolitani D. M. Eſſ.

***Chronica*** Longobardiæ.

***Chronica*** De Ruinis Aquileiæ.

***Chronica*** Abbatiæ Vrſpergenſis.

***Clearchus Solenſis***, De varia Hiſtoria.

***Clemens Viuius Romanus***, Chronica, De rebus geſtis tempore, quo fuit inſtitutus exarchatus in Italia per Imperatorem Iuſtinianum.

***Compendium Priuilegiorum*** Ducum, Principum, Comitum, & Marchio-

Ciccarellus Diodorum nunquam ſe vidiſſe aſſeuerat, accepiſſe tamen à fide dignis hominibus, qui eum legerant, adhuc extare. Videratque eum Sacerdos ille, qui id Principi Maſſæ retulerat, & quidam amicus ipſi promiſerat, ſe dictum Diodorum Lugduno miſſurum, cùm eum certiſſimè poſſideret.

*Doromus*, De quatuor clauibus conſiderandis in genituris.

*Dorotheus Epiſcopus* . . . fecit Chronicon, De Primatu Eccleſiæ Romanæ. 451.

## E

Epiphanius fecit Chronica ab Origine Mundi, in quibus euidentiſſimam mentionem facit, De confirmatione Donationis Conſtantini facta à Theodoſio Imperatore. 340.

*Eudoxus* libro primo, De rerum generatione.

## F

Fabius Vopiſcus De Poëtis Latinis.

*Fabritius Palmerius*, De Armis, & Inſignibus.

*Franciſcus Bindus Suanenſis* Chronica.

*Franciſcus Birlingerus Florentinus* in tertio Libro Geographiæ.

*Franciſcus de Corbara*, Memoriale, & Chronica.

*Franciſcus Lambertus Florentinus*, De Origine Vrbis Mantuæ.

*Franciſcus Pindus Soanenſis* Chronica. Forte idem ac *Bindus*,

## G

GErardus de Doxis, De Rebus Romanis. alibi, *Gerardus Vbertinus*.

*Gottifredus Beringus*. Hunc allegari à Leandro in ſua Italia ſcribit Ciccarellus. Tractatumque etiam, De ruinis Orbis compilaſſe, quod nondum repererat. Item, Dictionarium Poëticum concinnaſſe, quod iam typis editum erat.

*Gregorius Lazarius*, De Vitis Sanctorum.

*Gregorius Nazianzenus* libro primo, De Triplici Eccleſia.

*Guido Sacerdos Rauennas*. Hunc ait Ciccarellus à Fanuſio laudari; ſe

eum

eum non vidiſſe. Verumque eſſe eum à Blondo in initio ſuę Italiæ allegari, & à Leandro in ſua item Italia, charta 8. Blondumque referre Guidonem ante ſexcentos annos floruiſſe. De quo etiam Seuerus Mineruius de Vrbibus Italiæ ſermonem habet. Nec me latet Guidonem Presbyterum Rauennatem Hiſtoriam de Bello Gothorum ediđiſſe, & Auctore Volaterrano initio lib.22, Vitas Pontificum ſub Carolo Craſſo. An vero nugamenta, quæ ipſi ex Rauennate proferunt, illius ſunt, quibus plus otij eſt, & ſingula conferre poſsũt, diiudicent.

*Gulielmus Cordellus*, ſiue *Cardellus Romanus*, qui tempore Martini v. & Sigiſmundi Imperatoris ſcripſit in Librum *Ioannis Selini*, de Notabilibus, & memorabilibus Mundi, & notauit nomina Nobilium Romanorum.

*E.* De Familijs Illuſtribus, & Nobilibus Romanis per ordinem Alphabeti.

*Gulielmus Altiſcius Dorenſis*, ſcripſit Chronica ab origine Mundi vſque ad ſua tempora. 1196.

*Gulielmus Gallus Monachus Caſ-*

*ſinenſis* compoſuit Breuiloquium Tẽporum ab origine Mundi. 1240.

H

H*enricus Sardonius*, ſcripſit quatuor libros De Familijs antiquis Romanorum. Floruit ſub Conſtantino Magno Imperatore. alijs in locis ponit inter libros editos.

*Hermes Triſmegiſtus* ex lib. De triplici Opere.

I

I*Oannes Antonius Vallonus* in expoſitione Satyrarum Perſij: vbi allegat Olympiodorum De Annalibus Mundi.

*Ioannes Filius Comitis Nicolai de Barbiano* Chronica ſcripta anno Domini 1404.

*Ioannes Caramanius*, De Antiquitate Orbis. Alibi, De Antiquitatibus Orbis Libri ſex.

*Ioannes Hamelmanus*, De priſcis Romanorum Familijs.

*Ioannes Lupus*, ſiue *Lopius de Callari*, Hiſtorias Corſicæ, & Sardiniæ.

Hunc

Hunc ait Ciccarellus laudari à Campano, & alijs, quamuis ipſe non viderit.

*Ioannes de Murranis* fecit Chronicon; De Sacris Ordinibus Eccleſiæ.

*Et*, Chronicum Eccleſiaſticum anno Domini 1104.

*Ioannes de Parma Theologus Ordinis Minorum*, multa Opera compoſuit, & inter alia tres Libros, De Vitis Sanctorum Martyrum, qui paſſi ſunt in Italia 1289.

*Ioannes Stamlerus*, Theſaurum Coſmographię.

*Iulianus Aurelius*, De Cognominibus Deorum.

## L

L*Andus Cadurceus*, Liber.

*Libanius* ſub Coſtantino Imperatore ſcripſit geſta Conſtantini, & de eius Donatione facta Eccleſię Romanæ. 340.

*Liber* Memorabilium Italiæ, quem laudat Campanus.

*Lucinius Garcus* libro quarto Georgicorum. Ciccarellus ait C. Plinium lib. 7. Lucinij meminiſſe.

M

MArcus Antonius Maria Venuſtus, De Generatione hominis.

*Marſilius Lesbius* de Bello Pelaſgico Libercnlus.

*Myrſili Lesbij*, De bello Pelaſgico, cum Annianis fragmentis proſtat.at Marſilium Lesbiumnullum ipſe noui.

*Mauritius Campanus*, Chronica.

*Meliſſus Sabinus*, De Vrbibus Europæ. Ciccarellus, vt hunc Meliſsum probet, ait C. Plinium lib. 7. & 9. & 10. & 11. & 14. cuiuſdam Meliſſi meminiſſe.

N

N*Icanor*.

*Nicolaus de Tumbaſco* fecit quinque Libros, De Bellis Maritimis 1254.

O

O*Lympiodorus Hamaal* ſcripſit Annales Mundi. alibi, De antiquitate Orbis. Fanuſius ait eum ſcripſiſſe lib. 34. De Annalibus Mundi.

*Panæ-*

P

*Panætius Beſſus*, De Vuis, & Vinis Italiæ.

*Pauli Minij*, Difeſa della Città di Fiorenza.

*Paulus Moriggia* Hiſtoriam omnium Religionum Mundi.

*Perdanus*, ſiue *Recordanus Maiaſpina*, Chronica. Item, De Familijs, & Nobilitate Florentinorum. Fanuſius ait, Auctorem eſſe fidelem, & diligentem.

*Petri de Bulgaris* Regiſtrum Notabilium Ciuitatis Bononienſis. Fanuſius ait eum omnia ex Antiquis Codicibus Archiui extraxiſſe.

*Petrus Cratepolius* in Catalogo, & Deſcriptione omnium Archiepiſcoporum Colonienſium, & Treuerenſium; & ſuffraganeorum.

*Petrus Matthæus de Alexandris de Saxo Ferrato*, Memoriale.

*Petrus Ternus*, Annales.

*Philaurus*, vel *Philarius Epidaurus*, De Familijs Illuſtribus Europæ. Ait Ciccarellus aſſeruari in Bibliotheca Franciſci Lamazzoli Hortani.

*Philibertus Epiſcopus Arelatenſis*, ſcripſit Summam Memorabilium totius Mundi.

*Philoponus* in libro ſuo, De Doctrinis.

*Plines Pythagoricus* libro tertio, De occulta Magia.

*Polycrates* libro ſexto.

*Porphyrius lib.* 1. De rerum generat

*Proſper de Cantelmis Neapolitanus*, Fecit Regiſtrum nobiliſſimarum, & Illuſtriſſimarum Stirpium totius Regni Neapolitani,

*Et*, Chronica Italiæ.

*Protarchus Delphius*, De Iuſtitutione Regia.

## Q

QVintilius *Epiſcopus Lilybæus*, fecit Librum, De Donationibus factis Eccleſiæ Romanæ. 1259.

## R

RAbanus inter alia fecit Tractatum, De Eccleſia, in quo meminit, de Donatione Eccleſiæ facta à Ludouico Pio 820.

*Ra-*

*Raphael Roncionus*, Piſarum Hiſtoriam.

*Regiſtrum* Familiarum Romanarum Nobilium factum ordine Alphabeti ſub Papa Martino.

*Regiſtrum* De Nobilibus Romanorum Familijs, quæ vigebant anno ſalutis 1293. Fanuſius ait conſeruari in Archiuo Capitolinæ Arcis.

*Reſtaurus Aretinus* Annales.

*Ricordanus Malaſpina*, vide *Perdanus*.

*Robertus Lonianus*, De Myſterijs Eccleſiæ.

*Robertus Palamurus*, ſcripſit Hiſtoriam Cæſarum Germanorum. Hunc ait Ciccarellus à Scaglia laudari, ſe tamen eum nec vidiſſe, nec legiſſe, multos tamen eſſe, qui eum viderunt, & legerunt, vt ipſe ab ijſdem audiuit.

## S

*SEbaſtianus Compagnus*, Chronicam.

*Sebaſtianus Munſterus* lib. 2. Methodorum.

*Seuerus Mineruius*, De Vrbibus Italiæ.

*Stephanus Cibus*, Tractatus Mathematicos.

*Septimius Floridus*; De Vrbibus Italiæ. Ciccarellus adnotauit, C. Plinium lib. 34. cap. 6. de Septimio loqui.

T

THeodorus *Priſcianus* De phyſica ſcientia lib. 4. ad Euſebium.

*Thomas Radinus*, in Siderali Abyſſo.

*Timocrates Arſenius* Libro de Familijs Romanis, & De Nobilitate Romana. Scribit Ciccarellus conſeruari in Bibliotheca Vaticana, & laudari à Ioanne Selino.

E. etiam ſcripſiſſe Libros tres, De Nominibus Romanorum priſcis, quē ante Hiſtoriam de Nobilitate Romana refert floruiſſe tempore Mauritij primi Imperatoris, & inter editos libros connumerat in ipſa Hiſtoria, cap. 2. ſub Nerone; aitque conſeruari in Bibliotheca Vaticana.

V

VArro in Libris De Familijs Romanis.

*Vgolinus de Vrbe veteri ex Ordine Eremitarum*, fecit Summā De Tem-

po-

poribus, & Notabilibus Mundi. 1291.

*Vrbanus Ordinis Ciſtercienſis*, De Nobilibus Italiæ. Alibi, De Notabilibus Italiæ.

CIccarellum poſtmodum, illiuſque Auctores ſecuti ſunt,

*Petrus Riguardatus*, ſiue *Recordatus* in Hiſtoria Monaſtica.

*Monaldus Monaldeſchus de Ceruaria* in Commentarijs Hiſtoricis.

*Franciſcus Sanſouinus*, cuius, vel hoc ſolo nomine Ioſeph Scaliger, de vetuſtate, & ſplendore Gentis Scaligeræ in vita Patris ſermonem habens, fidei, candorique detrahere poterat, non quòd ſtrictim, & ieiunè, ſed etiam malignè locutus fuerit: dum enim Sanſouinus Hiſtoricis fictis, & à Ciccarello compoſitis nimiùm fidens, eorum teſtimonio, tot Nobiliſſimarum Familiarum maieſtatem ſuſtinere conatur, recti equidẽ ignorantiæ, ſiue malitiæ, non negligentię, aut inuidiæ crimen, vituperationemque ſuſcipit. Quid enim ad candorem, & veritatem facit, ſi ieiunè, & ſtrictim dè aliquo dicimus, &, quæ ipſi non nouimus, ſilemus! Omnium

Auctorum Libros habere omnes nō poſſumus, nec tenemur: ſed neq; verborum, ſententiarumque porrecta garrulitate de re qualibet Volumina ingentia, opiſtographaque, vt minùs maligni videamur, conficienda ſunt. Verũ Sanſouini cauſam abundè egit Scioppius in Scaligero Hypobolymæo, qui nec ipſe Ciccarelli fraudes, nec Sanſouini oſcitantiam ſubodorauerat; indigniſſimè enim factum toto Orbe conclamitaſſet, ac proſcripſiſſet.

*Ferdinandus Marra* nunc demum à Camillo Tutino Neapolitano in lucem editus, Neapoli apud Octauium Bertranum 1641. in Chronólogia, quam Italico ſermone conſcripſit Familiarum, tum earum, quarum inter mortua prope memoria eſt, tum externarum, aliarumque, quæ in Neapolitanis, vt aiunt, Sedilibus, adſcitæ non ſunt, & cum Familia Marra matrimonio coniunctarum.

*Ioannes Petrus Creſcentius Romanus* in Corona Nobilitatis Italiæ, ſiue de Familijs Illuſtribus parte prima Italicè edita Bononiæ, 1639. in 4.

*Hieronymus Maraſiotus* in Chronicis,

nicis, & Antiquitatibus Calabriæ Italicè vulgatis, Patauij 1601. in 4. qui inſtar Ciccarelli, vt ſententias ſuas veterum Scriptorum auctoritatibus confirmaret, alios, atque alios Auctores, qui nuſquam ſunt, ex cerebro ſuo confictos in teſtimonium aduocat, *Alcmaini* Chronicas Aegyptias, *Themiſtoclis* Geographiam Orientalem. *Eiuſdem* Librum Depopulationum, *Iulij Pollucis* De Prodigijs, *Archiæ Poëtæ* Orationē ad Rheginos, *Miantis* Epitomem Sicularum Hiſtoriarum, ab *Hipparcho Philoſopho* ſcriptarum, *Hieroclis* de Comicis, Tragicis, & Hiſtrionibus, *Leodontij* Harmonica, *Ariſtoxeni* περὶ τῆ ἀυριχάλκου *Eiuſdem* Sermonē de Orpheo, *Theoreti* Exercitamenta, & inter hos ſæpius *Solini* opus De mirabilibus mundi, quem ex Selino Ioanne Ciccarelli in Solinum abijſſe non dubito, cùm ad hæc tempora nullus alius Solini de mirabilibus mundi Librum laudaſſe compertus ſit.

Et plures alij, de quibus ne peius aliquid dicam in præſentia, Lector, videre poteris, quæ nos ſupra, de Hiſtoricis *Ioanne Taraſſa*, *Floriano*

*Ocam-*

*Ocampio, Ioanne Pineda, Hieronymo Romano, Antonio Beutero*, qui in rebus Hiſpaniæ pertractandis, ducem Ioannem Annium, illiuſque ſuppoſititios Scriptores ſecuti ſunt, ſuaque ex ijs conſarcinarunt, ex Bibliotheca Hiſpanica diximus.

FINIS.

IN-

# INDEX.

## Rerum memorabilium.

*A*

*ACcentus literarum in Græcis an fuerint in vſu Syllanis temporibus, pag.* 94. 95. *& ſeq.*
*Adrianus Politus fraudem Ciccarelli agnoſcit.* 262.
*Aegyptij de ſua antiquitate.* 216.
*Aegyptiorum cadauera bituminis beneficio incorrupta.* 189.
*Aeui noſtri miſeria.* 3.
*Afrorum Characteres, & literæ.* 19.
*Albericus Cibus Princeps Maſſæ fraudem Ciccarelli deprehendit.* 260. 268. *Eiuſdem ſententiæ ex Epiſtolis eiuſdem autographis decerptæ.* 260.
*Alphonſi Ciccarelli Autographum varijs literarum formis ab Auctore expreſſum.* 91. *Alphonſus ex quo libro familiarum ſtemmata, & Vrbium antiquitates depromebat.* 92. *Alphonſi ingenium.* 255. 275. 291. *Libri maximo deſiderio conquiruntur.* 256. *Artes quibus ſe tutatur.* 264. *Conſilium ad Prin-*
*ci-*

cipem Maſſæ. 267. *Ad Cardinalis Sirleti obiecta reſponſio*.268. *Fraus in Ioannis Selini Opuſculis* . 272. *Libellus ſupplex ad Iudicem*. 278. *Technas cognouit Iacobus Grimaldus* . 288. *Ferdinandus Vghellus* . 289. *Epitaphium in Vxorem*. 291. *Libri editi* . 292. *Non editi* . 292. *Syntagmata de Etruria*.303. *Alphonſus Annio perniciosſior* . 255. *Medicinam exercuit*. 257. *Familiarum ſtemmata digerit*. 257. *Scriptores præuertit* . 258. 284. *Nobiliſſimas familias hac mercatura in ſui admirationem non ſine ingenti æmolumento trahit*. 259. *Ab amicitia ſe Principis Maſſæ retrabit* . 275. *Aſtrologiæ operam nauat*. 275. *Et in ea eiuſdem artes* : 276. *Varia Inſtrumenta confingit* . 276. *Multa ſub aliorum Auctorum nomine edit*. 282. *Laqueo vitam finit* . 263. 277.

*Americæ populi ex auium plumis veſtimenta ſibi præparant*. 194.

*Amphitryonis tripodem Apollini conſecrantis Tabula marmorea*. 75.

*Anni Etruſcorũ ijdem,& Biblici*. 234

*Anni*

*Anni mundi alia atque alia ratione numerantur.* 214.
*Antiquitatum Etruſcarum Auctorem Mercaturæ, aut Notariatui operam dediſſe.* 54. *Anni omnes integri, ideoque ſuſpecti.* 235. *Bitumen recens, & quale.* 198. *Collector non potuit tot Scarith, quot nunc inuenta ſunt, humo tradere.* 204. *Characteres Etruſci more Græcorum, & Latinorum à læua in dextram egeruntur.* 107. *Chartæ inuentio inſulſiſſima.* 166. *Chartæ modus an idem fuerit cum hoc noſtro.* 169. *Charta recentior.* 112. *Characteres minùs diſtorti, & quare.* 93. *Chronologia abſurdiſſima.* 211. *& ſeq. Chronologia merum deliramentum eſt.* 218. *Contradictio.* 42. *Exemplaria omnibus conceſſa.* 6. *Fragmenta cautè legenda.* 2. *Lineæ ductibus decuruatæ.* 87. *Lineola Græca recentiſſima.* 93. *Oracula poſtremum ſeculum redolent.* 109. *Orthographia peſſima, & minimè antiqua.* 33. *Fragmenta inutilia Romanis, Etruſcis vtilia, & glorioſa.* 9. *Res, & ritus nouitatem ſapiunt.* 36. *Multa ex re-*

li-

ligione Chriſtiana,& Iudæorũ mutuantur. 37. Stylus, & forma dicendi. 24. 26. Subſcriptiones recentioris moris ſunt. 38. Sententiæ inſulſæ. 35. Verborum monſtra. 35. Verborum Græcorum ſententia nulla, immo inepta. 104. Nulla ſententiarum nec ſtyli diuerſitas. 17. Non fuiſſe plures compoſitores, ſed vnum. 17. Scriptorum barbaries. 27. Venenum. 2. Scriptores Chriſtiani. 232. Scriptores etiam ex calculo Martyrologij refelluntur. 228. Scriptor quare characteres corruperit. 87. & ſeq. Chartam in fruſta concidit,& quare? 169. Apud Hiſtoricos altum ſilentium. 5.
Antonius Ciccarellus diuerſus ab Alphonſo, & quæ ſcripſerit. 309.
Arcana Imperij quæ occultantur. 8.
Arcæ reliquiæ ab incolis Apobaterij monſtrantur. 188.
Ariſtotelis locus cõtra Sylburgiũ. 197
Arma quam antiquitatem habeant. 44. Quibus dignoſcuntur. 43. In quo differant ab Inſignijs. 43. An in annulis ſculperentur. 46. Eorum vſus antiquiſſimus à Troianis

*nis temporibus.* 46. *Nullum apud veteres ſignum*. 44.
*Artes omnes continuò immutari.* 21.
*Artificis chartarij ſignum viſum in Antiquitatibus Etruſcis.* 170.
*Athanaſij Kirkeri laus.* 77.
*Athanaſij Magni autographum.* 113.
*Atramentum Antiquitatum recentiſſimum*. 178. *Noſtrum ab Antiquorum longè diuerſum eſſe*. 185. *Elephantinum.* 179. *Tectorium*. 182. *Sutorium.* 182. *Ex ſepia hodie in vſu.* 180. *& ſeq. E Sinica regione aduectum*. 180. *Ex pilis capræ crematis tenaciſſimum.* 180. *Atramenti veteris confectio*. 179. *Noſtri præparatio.* 183. *Atramento inducto, quæ non placebant, delebant.* 135. *Atramento ſutorio abſolui, quid ſit.* 183.
*Auguſti ſigillum*. 47. *Tragœdia Aiax.* 130.
*Auguſtini Maſcardi laus.* 216.

B

*Babylonios ſeptingentorum viginti annorum obſeruationes in coctilibus laterculis habuiſſe.* 192.
*Babylonij muri bitumine ferruminati.* 183. *Vnde nam perpetuitatem ha-*

*habuerint.* 191.
*Bartholomæi Tortoletti laus, & carmina in Antiquitates Etruſcas Inghiramianas.* 31.
*Benedicti Seluagi laus.* 116.
*Biblia ſua vt ordinarit S. Hieronymus.* 47.
*Biſciæ Cardinalis laus.* 223.
*Bitumen Arcæ quomodo conſeruatum.* 196. *In terram degenerat.* 191. *Facile ignem concipit.* 203. *An perpetuitatem paret.* 188. *Exciſum à loco, in quo generatur, emoritur.* 191.
*Burgundionum antiquæ literæ Græcæ.* 78.

C

*Cadauera Antiquorum quibus medicabantur.* 190.
*Characteres, quibus nunc vtimur, & Curſiuos appellamus, Syllanis temporibus non fuiſſe in vſu.* 54.
*Characterum mutatio continua.* 18.
*Chalcanthum, quid differat ab Atramento.* 182.
*Capitalibus literis Antiquos ſcripſiſſe.* 60.
*Capitalium literarum varia nomina.* 70.

*Caroli*

*Caroli Moroni laus.* 102. 325.
*Caroli Sigonij laus* . 317.
*Caſſiani à Puteo laus.* 75.
*Caſſiodori verba de Charta Papyracea examinantur*, 346. *& ſeq.*
*Catilina an virtute præditus fuerit.* 243.
*Caue , Caue Canem , locus Petronij illuſtratur.* 57.
*Cedri vis quanta.* 190. 200.
*Cera interuallo temporis in puluerem abit.* 196. *Vetuſta animal gignit.* 197.
*Ceræ deletitiæ.* 128. *& ſeq.*
*Charta noſtra vt differat à Papyro Antiquorum.* 115. *Noſtra, qua hodie vtimur, à quo tempore vſurpata.* 113. *Linea quare noſtras dicta.* 119. *Charta ex linteis.* 145. *Ignota Plinio.* 156. *Chartæ noſtræ linteæ nullus Veterum meminit.* 121. 124. *Recens inuentum.* 117. *Charta olim fiebat ex papyro.* 119. *Incœpit tempore Alexandri Magni.* 152. *Diuerſo à lintearijs noſtris charactere inſigniebatur.* 171. *Quando exoleuerit.* 119. *In qua nunc ſcribimus Syllanis temporibus nulla apud Romanos.* 113.
*Ean-*

*Eandem cum pannis linteis, ex quibus conficitur, naturam induit.* 201. *Fraudolenter à Collectore Antiquitatum Etruſcarum intincta.* 175. *Non tamen per omnes ſui partes colorem induit.* 178. *Charta Sinenſium.* 155. *Plumbea.* 160. *Lignea.* 120. *Deletitia Antiquorum.* 127. *Deletitia noſtras.* 129. *Maior, & minor.* 136. 123. *Ex Papyro.* 143. *Charta Vetus diuerſa à noſtrate nota ſignata.* 171. *Chartæ linteæ prima ex Bombyce.* 168. *Chartarum plures ſpecies Plinius non recenſuit.* 123. *Charta quarum meminit Plinius* 140. *& ſeq. Chartæ ſpecies variæ.* 113. 114. 115. 122.
*Ciceronis forma dicendi.* 23.
*Codex in Bibliotheca magni Ducis Etruriæ, & Leoni Decimo dono miſſus non eſt papyraceus.* 153. *& ſeq.*
*Codices antiquiſſimis literis exarati.* 85.
*Cælos plurali numero nullus vnquam probatus latinitatis Auctor vſurpauit vſitata ſignificatione.* 28.
*Comatæ Grammatici de Homero Carmina.* 97.

Con-

*Conſtantini Imperatoris donatio, & eiuſdem confirmatio per Theodoſium Imperatorem.* 278.
*Conſtantinianarum Thermarum reliquiæ duriſſimæ.* 193.
*Coptorum literæ.* 77.
*Corium à membrana diuerſum.* 141.
*Creta non poteſt diutiùs incorrupta ſeruari.* 199. *Igni appoſita res, quas in ſe habet, incendio abſumit.* 204.
*Curtij Ingbiramij laus.* 252.

D

*DIaſtoles forma qualis fuerit apud Antiquos.* 101.
*Diodorus Samius* 336.
*Dionyſius Halicarnaſſeus diligens Romanæ Hiſtoriæ ſcriptor.* 9. *Ex quibus hauſit ſuam Hiſtoriam.* 10.
*Donati Lilitelii laus.* 216.

E

*ERrata apud Veteres ex ſcriptionis capitali genere ortum habere.* 67.
*Etruſcarum Antiquitatum Scriptores enerues, languidi, incompti, &c.* 24. *Perpetuitas incerto, & labili inſtrumento commiſſa.* 198. *Vide, Antiquitatum Etruſcarum.*

Etru-

*Etruſci regni ficta miracula.* 22.
*Etruſci characteres in Caſtro Septij.* 16.
*Etruſcis literis erudiri ſolebant pueri Romani.* 13.
*Etruſci veteres regno præclariſſimo potiti ſunt.* 9.
*Etruſcis ars vaticinandi familiaris.* 11. 12.
*Etruſcos inter & Romanos commercia.* 17.
*Etruſcorum Æra ſtultiſſimè à Feſulano conſtituta.* 211.
*Etruſcorum Hiſtoriæ omnibus publicè proponebantur.* 14.
*Etruſcorum leges quædam ineptæ cenſentur.* 36.
*Etruſcorum in aſſeruandis ſuis originibus nulla cura.* 6.
*Exſcriptorum in excribendis libris incuria.* 222.
*Excuſatio non petita fit accuſatio manifeſta.* 167.

*F*

F*Abri chartarij ſigillum in charta.* 169.
*Facinora non verba ad virtutem excitant.* 15.
*Fanuſium Campanum Ciccarellus defen-*

*defendit*. 271.
*Felicis Contelorij Archiuo Vaticano Præfecti laus*, 261. 296.
*Ferdinandi Caroli laus*. 250.
*Feſulanus de rebus proprijs ambiguè vaticinatur*. 111. *Vide, Proſperus*.
*Florauantis Martinelli laus*. 90.
*Forma dicẽdi mutatur à materia*. 23.
*Franciſcus Petrarcha in coriacea veſte ſcribebat*. 159.
*Franciſci Sanſouini fides*. 357.

G

*GAbinij Læti auctoritas*. 312. *Dictio barbara*. 264. *Nugæ*. 310. *& ſeq*.
*Gabrielis Naudæi laus*. 84. 196.
*Galli propter incurſus gentium barbararum Romanam linguam amittunt*. 18.
*Gaſparis de Simeonibus laus*. 135. *Expoſitio de Aiace Augusti in ſpongiam incumbente*. 135.
*Gordus Bibliotheca Etruſcorum quid ſit*. 29.
*Gottardi Vœgelini Typographi laus*. 185. 180.
*Gottborum literæ*. 77. *Eorum primas literas capitales fuiſſe*. 155.
*Græcorum literæ antiqua à recentio-*

Q *ribus*

ribus diuerſæ. 74. Antiquas capitales fuiſſe. 74. Eccleſiaſticus computus. 217.
Gulielmus Poſtellus ad fingendum aptiſſimus non eſt harum Antiquitatum auctor. 247. Violatæ fidei reus. 288.

H

HEluetiorum antiquæ literæ Græcæ. 78.
Hilarij de Sanctiſſima Trinitate Codex antiquiſſimus. 84.
Hiſtoria corrupta. 3. Hiſtoriæ corruptores animaduerſione digni. 4.
Hiſtoriæ inſignes de Chartæ inſignibus. 172. & ſeq.
Hominem veterem nouus ſemper expellit, ſic clauus clauo truditur. 19.
Oratij Felicis laus. 89.

I

ICbthyophagi ex Cetorum oſſibus ſibi domos conſtruunt. 195.
Imagines Antiquorum. 44.
Imperialis quis liber ſit. 325.
Index operum Ciccarelli tum editorum, tum non editorum. 292.
Index Manuſcriptorum Codicum, quos dicit Ciccarellus penes ſe eſſe. pag. 305.

In-

*Index ſcriptorum, quos Ciccarellus laudat in operibus ſuis.* 330.
*Inſcriptionum aliud, atque aliud characterum, & verborum genus.* 77.
*Inſignia in quo differant ab armis.* 43. *Cum armis malè confundi.* 46.
*Interpres quando eloquentior ſit.* 24.
*Ioannis Argoli laus.* 63.
*Ioannis Baptiſtæ Nardoni laus.* 82.
*Ioannis Baptiſtæ Perſonæ laus.* 43.
*Ioannis Capiſtranij ſtudia.* 320. *Opera ſuppoſititia.* 321.
*Ioannis Fabri Peireſcij laus.* 64.
*Ioannis Morini laus.* 103.
*Ioannis Philippi Thomaſini laus.* 159
*Ioannis de ſacro Boſco liber de Sphæra inuerſis literis deſcriptus.* 177.
*Ioannis Scriniarij Chronica, & alia.* 273.
*Ioannis Selini Chronicon.* 273. & *ſeq.* 282.
*Ioannes de Virgilio auctor ſuppoſitus.* 324.
*Iota antiquitus apud Græcos non ſubſcribebatur.* 103.
*Iugurtha Thomaſius de rebus Senenſibus Hiſtoriam meditatur.* 262.

## L

Lactantij Firmiani exemplar vetuſtiſſimum. 62.
Lælij Guidiccioni laus. 26.
Laterculi optimi qui. 193.
Leo Allatius Bibliothecam Palatinam Romam aduexit. 71.
Leopardi Antonotij laus. 89.
Libri in vrbe Biblo nunquam corruptionis vitium ſentiebant. 200.
Libri Veterum capitalibus literis ſcribi ſolebant. 62. Lintei an veteribus fuerint noti. 157. Quinam ſint. 156. Mappæ vocati. 165. Carbaſini. 158. Cedrati non facile corrumpuntur. 201. Elephantini. 123. 137. Lintei. 145. Numæ ex charta papyracea. 152.
Lineolæ curuæ, quam virgulam vocamus, nullus vſus apud Antiquos ad diuidendam ſententiam. 101.
Linguarum mutatio continua. 18. Earum confuſio cauſa fuit diuiſionis gentium. 209. Linguas, & artes omnes quotidie immutari. 21.
Linum optimum Aegyptus producit, pag. 150.
Literarum genus aliud atque aliud in Inſcriptionibus admixtum. 76. Figuras

*guras antiquas capitales fuiſſe.* 75.
*Formas vetuſtiſſimas apud Romanos alias atque alias fuiſſe.* 69. *Literæ Græcæ quo magis ad capitales & quadratas accedunt, eò iudicantur antiquiores.* 75. *Literæ antiquorum Latinorum Græcis ſimiles.* 60. *& ſeq.*
*Longobardi, Vide, Gothi.*
*Loquetibus nimis non fidendum.* 245.
*Lucæ Holſteniÿ laus.* 83.
*Lucæ Vvaddinghi laus, & Epiſtola ad Leonem Allatium.* 319.

M

*Magnus liber magnum malum.* 2.
*Malateſtæ Leonelli laus.* 312.
*B. Mariæ Virginis Epiſtola ad Meſſanenſes.* 115.
*Materiam ex qua compacta ſunt Scarith non poſſe ferre tantam antiquitatem.* 187.
*Matthæi Ciccolini Cæſenatis laus, & liber.* 175.
*Mediolanenſe ſignū, & eius origo.* 50.
*Melchioris Incoferi laus, & Epiſtola ad Leonem Allatium.* 116.
*Melo olim pro Nilo.* 149.
*Membranæ nomine apud Plinium quid intelligatur.* 142.

*Michaëlis Lonighi laus.* 172.
*Minuſculæ literæ recentes.* 118. *Minuſculæ ſimiles noſtris apud Antiquos.* 59. *Minuſcularum notæ alijs atque alijs figuris expreſſæ.* 81.
*Mitres Aegyptius in Obeliſco literas Aegyptias ſculpſit.* 140.

*N*

N*Icolai Riccardi laus.* 72.
*Noë Vandimon, & Ianus dictus.* 208. *An cum Iapheto filio in Italiam venerit, ibid. & quando.* 218. *& ſeq. Anno orbis conditi.* 1056, *natus eſt.* 215. *Non eſt in Cœlum translatus.* 242.
*Notæ ſcribendi Antiquorum.* 74.
*Numæ corpus, & libri in arca reperti poſt multos annos incorrupti.* 200.

O

O*Ppidorum nomina in his Antiquitatibus recentiſſima.* 40.
*Oracula quæ optima.* 109.
*Orthographia an ſemper eadem.* 34. *Continuò immutatur.* 20. *Conſuetudini ſeruit, ideoque ſæpe mutata, ibid. &* 70.

*P*

P*Alimpſeſtum charta deletitia.* 123. *Quid ſit.* 126. *& ſeq.*

*Pan-*

*Pandectæ Florentinæ quibus literis ſcriptæ.66. An prima auctoris manu deſcriptæ.67.*
*Papyraceæ Chartæ conficiendæ modus percurritur.148.& ſeq.*
*Papyri vſus etiam poſt Plinium.143.*
*Papyrus deletilis quæ.128.*
*Parthi in veſtibus ſcribebant.158.*
*Paulus Patriarcha Conſtantinopolitanus auctor ſuppoſitus.326.*
*Pauli Zacchiæ laus.190.*
*Perſarum Rex nullus niſi Magorum diſciplina imbutus.12.*
*Petri Caſtelli laus.203.*
*Petri Vallij laus.189.*
*Philaſtrij opinio de linguarum varietate tempore Noë.210.*
*Pictoris cuiuſdam Theatini Ordinis induſtria mirabilis.175.*
*Pilati contra Chriſtum ſentẽtia.279.*
*Platonis Tiburtini in traducendis Auctoribus Græcis non incelebre nomen.298.*
*Plinius ſcriptor diligentiſſimus.122. Non potuit omnium comminiſci, ibid. De ſpeciebus omnium Chartarum egit.125.*
*Plumbea charta.160.*
*Populorum multorum exempla, qui leges, & linguam amiſerunt ex*
*bar-*

*barbararum gentium influxu.* 18.
*Proſperus nomen nouum.* 34. *Loquaciſſimus.* 236. *Nimiùm ſe, ſuaq. iactat.* 236. *Non ſibi conſtat.* 237. *Cõfuſus, obſcurus.* 238. *Incertus, ac dubius.* 238. *Præceptorum Etruſcorum hoſtis.* 239. *Nullius præuidentiæ.* 239. *Antiquitatum Etruſcarum Veſpillo.* 240. *Falsò, quæ ipſe compoſuit, alijs tribuit.* 241. *Etiam in atrociſsimis iocatur.* 241. *A vero alienus.* 142. *Calumniator.* 243. *In nobiliſſimas nationes iniurius.* 244. *Periurus.* 245. *Eiuſdem improbitas* 7. *Errores in Grammaticis.* 33. & *ſeq. Sententiæ Apennina glacie frigidiores.* 35. *Vitia, & idea* 236. *In ore linguã habet nõ in pectore, ibid.*
*Protocollon vnde dictum.* 171.
*Pugillarium nomine apud Plinium quid intelligatur.* 143.
*Pugillares eborei, & eburnei.* 138.
*Puncta, & Accentus apud antiquos varij.* 95. *Apud Hebræos nulli.* 103.
*Punctis verba, ſententiaſque Veteres diſparabant.* 95.
*Punctorum ſitus varius in ſcribendo.* 99.
*Puteolanus puluis cum calce, & arena ſub aquis ſolideſcit.* 194.

*Py-*

*Pytheas Meſſaliota multa falſa ſcripſit*. 246.

Q

*Quadratæ literæ Antiquorum quæ*.59. *Apud Petronium quæ*. 71. *In Minuſculis literis inſulſiſſimæ*. 39.

R

*Regum munus fuiſſe diuinare*. 12. *Regum Etruſcorum ſeries ex his Antiquitatibus*. 230.

*Roma à Roma Atlantis filia, & à Romulo*. 211. *& ſeq*. 231. *Ante Chriſtum natum annis* 752. *A Romulo condita*. 212.

*Romani ab Etruſcis diuinandi artem habuerunt*. 11.

*Romanorum ſtudia in perquirendis Antiquitatibus*.5. *Eorum, & Etruſcorum congreſſiones*. 16. *Optimatũ filij ad augurãdi artem addiſcẽdam in Etruriam mittebantur*. 12. *Etruſcis literis erudiebantur*. 13. *Literæ Feſulanis temporibus Græcis quàm ſimillimæ*. 70. *Romanos aliter ac nos ipſi ſcribimus, ſcripſiſſe*. 57. *Veteres non alios characteres ad magnificentiam, alios dum priuatim ſcriberẽt, vſurpaſſe*. 55. *& ſeq*. *Romanos inter & Etruſcos cõmercia*. 14.

Ro-

*Romulus opimus augur*. 12.
*Rotundæ literæ quæ*. 71.
*Ruffini Autographum*. 57.
*Ruthenorum literæ*. 76.

S

*SAcra quæ propriè dicitur*. 151.
*Sacræ literæ pro veritate quanti faciendæ ſunt*. 207.
*Scarith ſignificatio*. 185. *Antiquitas ex pilis, pice, & creta confectorum*. 187. *Scarithorum corticis tenuitas non potuit diuturniorem duratio-nẽ ſibi promittere*. 203. *Scarith cõbuſto externo cortice nõ potuit ab igne internã materiam conſeruare*. 201.
*Scipionis Ammirati laus*. 261.
*Scriptorum noſtri temporis in ſcribendo celeritas*. 72. & *ſeq*. *Fraudes in ſcribendo*. 90.
*Scriptorum pro tempore variæ dicendi formæ*. 17. *Varia dicendi forma licet eodem tempore viuant*. 18.
*Senarum Ciuitatis origo*. 40.
*Septiuoca Porticus in Olympia*. 236.
*Septuaginta quo tempore diuinas literas interpretati ſunt*. 221. *Poſt prætenſos hoſce Antiquitatum Etruſcarum Scriptores*. 221. *Septuaginta interpretum Græci Codices omnes in enumeratione annorum non con-*
*cor-*

*cordare*. 223. *Calculus non vnus apud omnes*. 226.
*Serica volumina*. 159.
*Serui non ſemper boni*. 7. *Seruorum malitia*, *ibid.*
*Seruus quidam ad Domini damnum oculos ſibi effodit*. 36.
*Sigilla Antiquorum*, & *in ijs Imagines*. 47. & *ſeq.*
*Signa in chartis maxima eſſe conſiderationis*. 172. *Ex ſigno chartaceo falſitas depræhenſa*. 173. & *ſeq.*
*Sinenſes de ſua antiquitate*. 216.
*Spongia ad abſtergendam ſcripturam veteres vtebantur*. 131. *Spongiarum apud Antiquos vſus*. 133. *Spongia curare*, *Prouerbium*. 132.
*Stylus quo ſcribebatur*. 129.
*Styli ratio quanti habita fuerit apud Antiquos*. 25.
*Suetonij locus expoſitus de Aiace Augusti in ſpongiam incumbente*. 131.

T

T, *Antiquiſſima Romanorum forma*. 79.
*Tabula Eugubina characteribus Etruſcis ſcripta*, *à Bernardino Baldo edita*. 106.
*Tabulæ puerorum per Græciam*. 128.
*Terentianus Codex Vaticanus omnium*

*nium*

nium antiquiſsimus . 72.
Thomas Pompeius nobilis Veronenſis falsò accuſatus. 172.
Thomæ ex Inghiramia familia laus, & Hiſtoria, auctor Scarith à pleriſque habitus, ſed defenſus. 249.
Turris Sennaarica ex lateribus, & bitumine ædificata. 189.

V

VEritatem nouis figmentis de medio multi tollunt. 3.
Veſtes ſcriptæ apud Antiquos. 160.
Veteres aliter ſcripſerunt quàm nunc ſolemus. 57.
Veteris Teſtamenti libri in corio Hebraicè deſcripti in Bibliotheca Vaticana. 142.
Vincentij Nogheræ laus. 157. Scripſit contra Antiquitates Inghiramianas. 158.
Virgilius Scriptorum ſolus inuentus, qui dicendi genus omne complecteretur. 23. Naturæ rerum comparatus à Macrobio, ibid.
Volaterræ quando conditæ. 211. Earum inſignia. 53.
Vrbiū conditores in Cœlū rapti. 242.
Vulgatæ ſcripturæ fides diuina, & ſuper hoc Decretum S. Congregationis generalis. 223.

FINIS.